



In Micheam prophetam commentarius

<https://hdl.handle.net/1874/428469>

30 2

IN MICHEAM PROPHETAM

COMMENTARIUS

D. Pauli Constantini

Phrygonis.



ARGENTORATI ANNO
DO. M. D. XXXVIII.

IN MICHEAM

PROPHETAM

CONSTITUTIS

E. P. M. C. M. C. M. C.

1871



ARISTOTELIS

GO. M. C. M. C. M. C.

NOBILI DOCTO SIMVL AC
pio Iuueni Thomę Theobaldo Anglo
Paulus Constantinus
Phrygio.
S.

Summa felicitas est, mi Tho
ma, cognouisse Deum,
Seruatore nostro Christo
teste, in qua solo fidei glo
riandum erit, ut per Hieremiam Deus
ipse clamat dicens: Nō gloriatur sapiēs
in sapiētia sua, nec in fortitudine sua for
tis, aut diues in diuicijs suis, sed in hoc
gloriatur q̄ gloriā, scire se & nosce me
quia ego sū sempiternus, qui facio mi
sericordiā & iudiciū & iusticiam in ter
ra. Cum uero Deus ipse in se, immēsus,
infinitus, incōprehensibilis incognosci
bilis sit, qui sit, ab effectis in litteris sacris
depingit: Creatione, liberatione, miseri
cordia, beneficentia, promissionibus,
quasi penicillo expressam de uirga, suā
am imaginem describit. Qua in re dic
quæso præsentius diuinitas ipsa, quā
in huius mundi fabrica dispicitur. In
A 2 repur

repurgatione à peccatis per diluuium
 Iustitia summa manifestatur. Potentia
 ne maior, quàm cum populum, extenso
 brachio, manu potenti à dura seruitute
 Aegyptiaca liberauerit, uisa fuit unquàm
 Curam plane paternam quadraginta
 annos filios Israel manna in desertopasa
 cendo exhibuit. Et si in rebus omnibus
 misericordia reluceat, extrema tamen
 cum captos & uinctos peccatis, morte
 unigeniti filij redemerit, spiritum san-
 ctum miserit, in filios adoptauerit, here-
 des conscripserit, peruidetur. Hæc sacre
 littere nobis proponunt, Deus his suos
 alloquitur, nutrit, fouet, erigit, consola-
 tur, sese qui nobis sit declarat atq; pro-
 fert. Quod in hoc nostro Michea ui-
 dere licet. Exhibita beneficia filijs Israel
 ob oculos ponit, potentiam, misericor-
 diam, ac demum Christum, Christi-
 q; regnum graphice depingit. Israelitas in-
 gratitudinis accusat, expostulationem
 aduersus eos instituit, ad poenitentiam
 inuitat, ab erroribus reuocat. Ingenia
 hominum, uitiatur naturæ omnis genes-
 ris describit, Christum liberatorem pro-
 mittit

mittit. Quem tibi tuoq; nomini dedica-
mus, cum ut sit iam olim inite amicitie
pignus, tum quia tu es sacrarum litera-
rum studiosissimus, ut habeas quem
manu teras, in quo ueluti speculo intue-
aris, uitam expendas, Deum contem-
pleris, agnoscas, tecum loquentem audi-
as, uideas presentem, foelicemq; uitam
uiuere possis. Preterea cū domū ad tuos
redieris, docti, quos ut terra fertilis pluri-
mos produxit, in pietate promouisse te
uideant, gaudeant pientissimi parentes
pium te habituri heredem, habeas de-
niq; quod cū equalibus conferas, igno-
rantes doceas, contritos consoleris, errā-
tes reuoces, tuamq; uitā instituas recte,
nec tibi, sed patrie natus ui-

deare. Vale. Tubingę

IIII. Decemb.

Anno.

xxxvi.





ERBVM SEM
piterni, quod
factum est ad
Michā Mora
schthiten tem
poribus Iothā
Achas, Iehis

kijah regū Iehuda quod uidit su
per Samariam & Hierusalaim.

Mox ab initio uersu hoc primo totis
us uaticiniū argumētū propheta po
nit indicādo quibus sub regibus sit uatici
natus, & quæ reipublice in utroque regno
Israelis & Iehude facies fuerit. Nā tēpori
bus illis regnū Israelis alternis cēdibus,
acidololatria contaminatū erat. Quan
do quidem Phacea filius Ramalię, con
spiratione aduersus Phaceā filium Ma
nahen proneporem Iehu facta, rege in
terfecto, tyrānide imperio potitus, a uis
Hieroboam filij Naboth, qui uniuersū
Israe

Israelem Idololatria contra legem Dei
infecit, non recessit. Phacea itaq; re-
gnante, Thelathphalasar Assyriorū rex
Galileam inuasit, tribū Naphtholim ca-
ptam abduxit, Osea uero filius Hela
Phaceę insidias tetendit, quo interem-
pto, regnū occupauit, cui Salmanesser,
eo quod auxiliares copias, à Sue Aegi-
ptiorum rege, aduersus se pecierat, bellū
mouit, Samariam obsedit, cepit, diruit,
decem tribus captas abduxit, & in Assy-
riam transtulit. Eisdem temporibus
Ioatham filius Ozię regno Iehude præ-
fuit, ambulans secundum patris uesti-
gia porro excelsa non abstulit, ad huc
enim populus Dei aduersus præceptū
Sempiterni in excelsis sacrificabat. Cui
Achas successit, impius, Israelis reges im-
pietate superans, filium proprium ignem
transire fecit. Idola coluit, innocen-
tem sanguinem effudit, eaq; , propter
quæ Dominus Cananeos extirpauerat,
peccata admisit. Quo mortuo Ezechias
in regem fuit electus, qui pietate, à tem-
poribus patris sui Dauid secundum non
habuit, fide & religione prædecessores

suos, longo post se reliquit intervallo. Nam Idola confregit, excelsa demolitus fuit, æneū serpētem, quia populus superstitione infectus ei immolare ceperat, cōtrivit, pietatē docuit, spe à solo Deo pepēdit. Istis itaq; sub regibus propheta noster uaticinatus est Israeli, quia ex integro à Deo defecerat nec ullus inueniebatur pœnitētiæ locus, minatur interitū.

Iehudæ uero, quia nec ipse, cautior alieno periculo factus, resipuit, prædicit captiuitatem, pœnitentibus liberationē, regnūq; Christi graphice depingit.

Vaticinatus est autem Micha, post Esaiam, Oseam & Amos, at eisdem temporibus uixit, uerum audiamus prophetam.

Verbum Sempiterni. Reddit auditores attentos, à persona mittentis, cuius fungatur legatione, cuius adferat mandatū indicans: Verbū, ait, Sempiterni, Deinde, à persona propria, Ad Micham de Morascha. Fuit autem Morascha una de ciuitatibus Iehuda, cuius etiā uestigia, Hieronimi tēporibus iuxta Eleutheropolim urbem Palestinę uisa fuere.

Audite

Audite omnes populi, auscultet terra & plenitudo eius, Dominus Sempiternus sit testis contra uos, Dominus de tēplo sancto suo

Quia ecce sempiternus egredietur de loco suo, & descendet, ambulabitque super excelsa terræ.

Et liquefient montes sub eo, & ualles scindentur, ut cera à præsentia ignis, ut aquæ per præceptum defluentes.

Propter pręuaricationem Iacob, & peccata domus Israel uniuersa hæc contingent.

Quis pręuaricari fecit Iacob, nunquid Samaria? & quis excelsa fabricari Iehudam docuit, nunquid Ierusalaim?

Tragico more, animos auditorū ut moueat, resipiscant, pristinam uitam in memoriam reuocent, exclamat. Audite

A & populi

populi omnes, auscultet terra, dicens. A
 præsentibus ad absentes, ab animatis
 ad inanimata se uertens uerba faciendo
 Sic Moses Deut: 32. Audite cœli quæ lo
 quor, auribus percipiat terra uerba oris
 mei. Et, c. 4. & 30. Cœlum terramq̃
 in testes uocat. & Esa. 1. Audi cœlum,
 auribus percipe terra. Est autem summe
 cecitatis, exprobratio. Nā Israele surdas
 præbente aures, cœlum ut auscultet, hos
 minibus terga uertentibus, terram cum
 omni plenitudine parulas ut exhibeat
 aures, inuitat. Vim enim maximam ad
 mouendum affectus, exclamationes has
 bêt. Esra & Kimhi מִשְׁכַּל אֵרֶץ
 נֶאֱמָרָה מִשְׁכַּל אֵרֶץ, per terram, Israelis ter
 ram & eam inhabitantes intelligunt.

Dominus sempiternus. q. d. Testis
 mihi erit Deus aduersus uos, quod uos
 præmonuerim, nomine eius prædica
 rim, peccata uestra uobis ob oculos posu
 erim, sanctusq̃ sim munere. Magnum
 est testibus delicti conuincere quempiã
 contra quos excipere tamen concess
 sum est, at Deo teste exceptioni relictus
 non est locus ullus.

Dominus

Dominus de templo sancto suo. Re-
 petitio hec emphasim habet. DOMINVS
 inquit in cuius potestate sunt omnia,
 qui cuncta regit atq; gubernat, Sempit-
 ternus ille qui finē nescit, fons & origo
 omnium rerum, Dominus inquā qui
 celos inhabitat, testis erit, contiones
 meas audit, aera penetrarunt terrāq;
 Reuocate pedem, resipiscite, durasq; in-
 fringite ceruices, admittite disciplinam.
 Sin minus, munere meo functus, diuin-
 nam uoluntatem, & uestra uobis pec-
 cata indicando, animā meam liberaui.

Quia ecce sempiternus egredietur de
 loco sancto suo, ἀνδρῶν πρῶτοι ἐστὶν enim
 egrediuntur principes è loco cum sen-
 tentiam dicere, aut uindictam sumere
 uolunt. Sic cum deus presentius se suis
 adesse demonstrat suamq; exerit poten-
 tiam uirtutē ac potentiam, egredi è loco
 suo dicitur. Psalmo 68. Deus cum ante
 populum tuum progredere, cum in-
 eederes per desertum, Terra concubieba-
 tur & cœli stillabāt ἰ Deo Sinai, à Deo,
 Deo Israel. Hoc est cum pro illo suam
 exerebat uirtutem, Adinonet itaq; eos
 diuine

ἄσκει ἐπὶ τὰ ὕψη τῆς γῆς. Et ascende
super excelsa terre.

Et liquefiēt montes sub eo, וַחֲמַד id est
defluunt, liquefiunt, dissoluūtur & λειψ
ἄσκει commouebuntur, Tempestatis
bus omnia pessū iri uidentur, nihil tam
ualidū, solidum, aut forte, quod non faci
lime, ut cera à facie ignis, & aqua in præ
ceps defluens, ab ira Dei dissoluatur ac
feratur in præceps. Quis enim corā Deo
consistere potest? Desumptus hic locus
ex Psalmo .18. uidetur.

Propter preuaricationem. Propheta
extremum minatus est interitum, à tem
pestate mutuata similitudine, qua terri
bilis nihil, nunc causam ire Dei, interi
tusq; Israelis ponit, Propter preuaricati
onem, inquit, Iacob, quia dereliquerunt
Sempiternum Deum suum, hæc eis ma
la obuenient. q̄ regno Israelis firmitus
quod imperium populosius & gentibus
cunctis formidabilius & tam magnum
tam latum, habens ciuitates & arte &
natura munitissimas, ut cera à facie ignis
defluxit, in præceps ruit, in uastā, pro
pter impietatem, redactum est solitudi
nem

nem, pedibus inimicorum conculcatū.
 Huius mali reges occasio fuere, qui suis
 transgressionibus, peccatis, Idololatria,
 populum, ut proni sumus, ad imita-
 tionem inuitarunt, cui omne malum
 tanquā causę, adscribitur. Sic 4 Reg: 21
 Pro eo quod fecit Manasses rex Iuda
 omnes abominationes istas, Ecce ego
 adducam malum super Ierusalem &c.
 Hinc est quod uates per interrogatio-
 nem, quę uim maximā conuincentem
 habet, fontem mali inquit. Quis prę-
 uariari fecit Iacob? &c. Quis trans-
 gressionis occasio fuit? Subindicare uo-
 lens, uniuersum populum in impietate
 imitādo & adulādo principibus ac regi-
 bus, cecidisse. Sic Est. **מִי נָפַל עַל אֲרָם**
לֹא עַל כַּחמֵת וְשֵׁם דָּבָר וְטַעַם מִי שָׁמַר
וּמִי אָתָּה אִי מִי שָׁמַר דָּרָךְ קִצְרָה
וּבִכָּה זֶה מִי גָרָם לִיעֲקֹב פֶּשַׁע זֶה
דָּר מוֹרִינוּס אָמַר כִּי מִי אַתָּה בְּחַי חֶסֶד
עִם מִי חַיִּיתָ זֶה מִי פֶשַׁע עָשָׂה וּמִי
חַיָּת שָׂרֵשׁ עָשָׂה יַעֲקֹב וְהִרְבָּר שְׂרָה:
 Interrogatio hominibus nō iumē-
 tis iungitur, aut nomine rei, ut quod no-
 men tuum? aut quis tu? uel quod no-
 men

mentum : breuitatis gratia , sic & hoc
loci , Quis Iacob huius preuaricationis
occasionem prebuit : Rabi uero Me-
nos , defectiuā orationem esse ait , uerbū
fuit , uel fecit subintelligendum esse , ut
quis transgressionem fecit : aut quis
transgressionis fuit Iacob radix &c.

Nunquid Samaria : responderurus
per interrogationem . q . d . num reges
qui sedē in Samaria habuerunt : Eme-
rat enim Amri rex Israel montem Scha-
mor à Schemer , edificauitq; in monte
ciuitatem Samariā eamq; regni Israelis
metropolim constituit ac regiā sedem ,
qui prius in Thirza regnarūt , 3 Reg : 15 .
Ioseph : lib . 8 . ca . 9 . Meminit huius ciui-
tatis Strabo : lib . 16 . quæ successu tem-
poris reedificata ab Herode fuit , & Se-
basta dicta .

Omnes equidē reges Israelis primū
Hieroboam , qui uitulos effinxit aureos
eosq; Dei loco colere præcepit , imitati
sunt nec ab errore pedem reuocarunt ,
hinc populus omnis a Deo uero defecit
in omnē Idololatriam prolapsus est . Si-
militer & reges Iehuda quorum , Ierusa-
laim

laim regia sedes fuit, idola colluerunt
 excelsa construxerunt, plantauerunt
 lucos, exēplo ab Israele sūpto, Hierer: 3.
 Ezech: 23. Nec impietate Israeli similes
 tantum facti, sed & gentes quas Domi-
 nus ē terra promissa expulerat, ut de
 Achas & Manasse legimus, superarunt.
 Insuper & pījs hoc uitij adscribitur,
 quod excelsa non abstulerint. Hinc aut
 gus quod facile ad quæq; prolabit vitia
 peccandi accepit occasionē, à preceps
 in idololatriā ruit. Impījs ergo principia
 bus periculosius nihil, Pījs nihil salu-
 brius.

Ponam Samariam in sulcos, ad
 plantandum uineas, lapides eius
 in uallem deiciam ac fundamen-
 ta eius reuelabo.

Quid calcare super excelsa terre, <sup>su-
 pra. uer: 4 & 5</sup> ipse interpretatur, & est
 ex maledictionibus una quas Deu. 28.
 Sempiternus minatus fuit, omnimodā
 nempe deuastationē, populi expulsio-
 nem, nam ^{וַיִּשְׁמַד} desertum ac desolatum
 significat ^{וַיִּשְׁמַד} reddidit ^{לְקָרְן} In
 sulcos

fulcos & cumulos agri, ut vinee postea
commode illic plantari possint. Et lapi
des. Samaria enim ut supra diximus in
monte sita fuit. In uallē cumulatim, ut
aquæ quæ in præceps ruunt, deijciā, ac
ipsa deniq; fundamenta denudabo. De
uastationis est amplificatio. Ita Christus
de Ierusalē, Amē dico uobis, inquit, nō
remanebit lapis super lapidem, Math:
24. Huius uaticiniij Hieremias ca. 26.
mentionem facit. Micha, ait, fuit pro
pheta in diebus Ezechie regis Iudæ, &
ad omnem populum Iudæ, dicens: Hæc
dicit Dominus exercituum: Zion quasi
ager arabitur, & Ierusalem in acervum
lapidum erit, & mons domus Domini
in excelsa sylvarum, &c. 70. habent.
*καὶ θέσωμαι σαμαρείαν εἰς ὄπωρον φυλάκτιον
ἀγρῶν, καὶ εἰς φυτεῖαν ἀμπέλωνος.* Ponam
Samaritiam in pomorū custodiam, aut
tugurium agri, & plantationem vinee.

Et omnia sculptilia Samarię cō
terentur, ac dona muneraq; com
burentur igne, & cuncta templa
B ponam

ponā in desolationē, nam omnia
de mercede meretricis congrega-
uit, & usq; ad mercedem meretri-
cis reuertentur.

Pergit propheta. Israelis amplificare
deuastationem. Sculptilia, inquit, eius
Samarie uidelicet, confringentur, Idolo-
rum templa desolabuntur, anathema-
ta auferentur. Vbi templa subuertuntur
reliqua dirui edificia est necesse. Et ubi
Dñs Idolisq; non parcitur, crudelitas
hostis, acidolorum uanitas, qui nec sibi
multo minus cultoribus suis auxilio esse
possunt, subindicatur. Rationem deua-
stationis subiungit. Quia Israel hæc om-
nia congregauit de mercede meretricis.
Scorta lucri gratia, corpora amatoribus
prostituūt, ut diuitias colligant. Summe
uero impudentię est & nephandissi-
mi scorti indicium, muneribus inuitare
amatores, secum omnem ut expleant
libidinem. Tales sunt Idolorum cultor-
es, quid enim ab illis beneficij accipi-
unt, aut quale lucrum ad eos redit? pro
fecto

fecto nullum, sed ipsi donarijs atq; mu-
 neribus Idola honorant, in sui amorem
 inuitant seq; illis prostituunt, quod sum-
 me est dementię. Idem Ezechiel Iudę ex-
 probrat, dicens: Nec facta es sicut mere-
 trix fastidio augēs preciū, sed quasi muli-
 er adultera quę super uirū suum indu-
 cit alienos. Omnibus meretricibus da-
 tur merces, tu autem dedisti mercedem
 cunctis amatoribus tuis, & dona dona-
 bis eis. ca. 16. Quid aliud agitur, cum
 Idolis aurum, argentū, uestes, & id ge-
 nus alia offeruntur, quā quod in amo-
 rem quasi nostrum alliciuntur: templa,
 prostibula maximis sumptibus illis edi-
 ficantur. Sponsus noster Christus est, ali-
 os inuitare amatores nephas est, quare
 Deus sub pœna mortis Idola, præcepto
 primo, prohibuit. Pœnam deinde sub-
 iungit, quia de mercede meretricis con-
 gregauit, ad mercedem usq; meretricis
 reuertentur. q. d. Omnia donatia Dñs
 oblata inimicus auferet, anathemata
 Dñs suis uictoribus offeret. Sic Assur, Vi-
 tulos aureos cōstregit, aurū in Niniuē ab-
 duxit. Osea teste. ca. 8. & hoc iusto Dei
 B iudicio

iudicio, ut quod Idolis sanctificarunt,
 rursus Idolis offerretur. Vt est in pro-
 uerbio. Αλῶν δὲ φόβος ἐνθερ ἤλθεμ ἐνθ'
 ἔβη. Onus salis unde uenit, illuc abiit.
 quod nostro quoq; tempore factū uide-
 mus, nā quod impie Diuis oblatū fuit,
 impijs, cū scortis est insumptū. Quod
 uertimus Idolorum templa, תבתי
 Cald. כחלתי כלל Septuaginta
 καὶ πάντα τὰ εἰδωλά αὐτῆς θέσω εἰς
 ἀφανισμόν. Et omnia idola eius ponam
 in perditionem.

Propter hoc plangam & ululabo,
 ibo spoliatus & nudus, facturus
 planctum uelut dracones, & luctū
 sicut filij Strutionum.

Diuus Hieronymus ad Deum hec re-
 fert. inquit enim, Hucusq; de Samaria.
 Et quia eadem plaga peruentura sit ad
 Hierusalem, & ipsa enim simili errore
 peccauit, derelinquens Deum suum &
 Idola fabricans, propterea Propheta
 facit quasi προσωποποιία Dei, & sub
 persona sua inducit plangentis affe-
 ctū &c. Quasi nudus & spoliatus filijs.
 Ezra,

Estra, prophetæ uerba esse dicit, deplo-
rantis illis temporibus seruos Dei.
Kimhi uero, Israelis capti, cuius deplo-
ret uates miseriam, propria delicta ag-
noscentis. Sensus igitur est. Quia terra
capta, ciuitates dirute, templa solo equa-
ta, Idola confracta, plangam & ulu-
labo, spoliatus & nudus, gloria regno,
sacerdotio, honore, ducor in captiuita-
tem, seruituti subiectus, planctum factu-
rus draconum, & filiarum strutionum,
quæ sibi causa sunt interitus. Sic ego hoc
mihi malum, mea infidelitate accersiui.
Facit ad hunc sensum quod Caldeus pa-
raphrastes non in prima sed tertia per-
sona sensum reddidit. Idē & Septuagin.
על רא יספרון וייללון ויחבון בשלליו
ἐν καὶ ἐν τῶτον κόψεται ἐπὶ πένθος προσδύ-
σιν ἀνυπόδλεος. &c. Hæc sic futura prædixit
Sempiternus Deut. 29. Vbi uiderint po-
steri & peregrini terram deuastatam
dicent: Quare sic fecit terræ huic? Quæ
est hæc ira furoris eius inmensa, & res-
pondebunt: Quia dereliquerunt pa-
ctum sempiterni, quod pepigit cum pa-
tribus eorum quādo duxit eos de terra

B 3 Aegypti

Aegypti. Et hosee. 3. Dies, inquit, multos
sedebunt filij Israel, sine rege & sine prin
cipe, & sine sacrificio, & sine altari, &
sine ephot, & sine teraphim. Huc quae
drat de draconibus & strutionibus ad
ducta similitudo. Plinius, li. 8 ca. 11. De
elephantibus inquit: Bellantesq; cum
ijs perpetua discordia dracones, tante
magnitudinis, ut & ipsos circumflexu
facili ambiant, nexuq; nodi perstrin
gant. Cōmoritur ea dimicatio, uictusq;
corruens, complexum elidit pondere.
Suppressus draco, interitum sera deflet
poenitentia, onere pressus, euoluere se
nequies. Sic filij Israel, impietate super se
iram Dei cumularunt, nec suis se operi
bus iuuare potuerunt, causaq; fuerunt in
teritus. Alij ad sibilum quem in spelun
cis solitarij dracones edunt, referunt. Ita
Israel demū abductus sua agnouit pec
cata, ex imo pectore alta suspiria tra
hens. Idem, de Strutiocamelis li. 10 ca. 2.
Inter aquum natura grandissimos, scri
bit esse Strutiocamelos, altitudinē equi
tis insidentis equo excedere. &c. Sed
non minus, inquit, stoliditas in tanta
reliqui

reliqui corporis altitudine, cum colla
 frutice occultauerint latere se existiman-
 tiū &c. Stra. lib. 16. Super hos sunt Stru-
 tiophagi, gens non admodum magna,
 apud quos aues dicuntur esse, ceruo-
 rum magnitudine, quæ uolare non
 possunt, sed celeriter currunt, quemad-
 modum strutiocameli, nonnulli eas ar-
 cu uenantur, nonnulli pellibus strutio-
 num testi, nam dexterā manū pelle col-
 li operiuntur, atq; eam sic mouēt quem
 admodum animalia collum, sinistra
 uero semen spargunt è suspensa pera
 eductum, eò auem allicientes, in conual-
 les detrudunt, ubi uiri animal circum-
 sistentes obruncant, atq; hi huiusmodi
 auium pelles induunt & substernunt.
 Sic & filij Israel stoliditate decepti, gen-
 tes Idololatria imitati, falsa religione in-
 teritum sibi accersuere. Prouerbiales
 senarij, à naturis animārium desumpti,
 apud ueteres fuisse uidentur. Quemad-
 modum de lapide moto prouerbum,
 in eandem sentētiā Christus fuit usus.
 Super quem, inquit, ceciderit lapis ille,
 cōteretur, qui ceciderit super eū cōfrin-
 getur

getur. Vbi Hebre: habet. **בְּרִיחַ יְיָ**
 70. reddidere θυγατέρων σφεδνών. Sui:
 Σφεδνές δαίμονες τινές εἰσι, inquit,
 ἑταῖροι δὲ σφεδνών, ὅς ἡμῖς σφεδνοκαμή-
 λους λέγομεν.

Quia desperatę sunt plagę eius,
 peruenit in Iehudam usq; deuasta-
 tio, peruenit ad portam usq; popu-
 li mei, usq; Hierusalaim.

Causam planctus & ululatus reddit,
 amplificatq;. Plage uulneraq; inflicta tā-
 ta sunt, ut de salute sit penitus despera-
 tū. Accensa ira Dei est, extingui nequit,
 serpit, cuncta consumit, nullis terminis
 continetur, ad Iehudam usq; peruenit,
 cui tamen regnum perpetuum, donec
 Messiah ueniret fuit promissum. Perue-
 nit insuper ad portas populi mei, quę
 elegit Deus, Hierusalem usq; ciuitatem
 illam sanctam, in qua templum, arca
 fœderis, cultus unius Dei, & in qua in-
 uocatur nomē Sempiterni. Emphatica
 est oratio, gradatim deuastationem am-
 plicat, & quasi per subiectionem, iram
 Dei ob oculos ponit. Nam Salmanesser
 Assyrius

Affriorū rex, uicto Israele, Samaria solo equata, decem tribubus abductis, armata manu, maximo exercitu, Iudam inuasit, munitissimas ciuitates cœpit, agrum depopulatus, Hierusalem ciuitatem sanctam, regiam, in qua piorum reliquie erant, Ezechia regnante, quæ una ex omnibus Iehude ciuitatibus sola tanquam tugurium in agro remāserat, misso Rablace, obsedit. Esa: 1. & .36. 4 Reg: 18.

Nolite annunciare in Gath. fletu flere nolitote, in domibus Ephra puluere te ipsam inuolue.

Transi habitatrix Saphir, nuda pudore. Non egredietur habitatrix Zaënan ad planctum Beth haezel inimicus mercedem accipiet, quia stetit in obsidione uestri.

Gath, ut regnorum testatur historia, una est de quinque ciuitatibus palestinae, in Iudee confinio, & de Eutheropoli in Gazam euntibus nunc usque uicus uel maximus demonstratur. Hieronymo

B 5 teste

teste. Vnde & Goliath, quem David occiderat fuit. Quæ alias Anthedon, item Agrippa dicitur. ut refert Ioseph. li. antiqui. 6. Pergit uates deuastationem amplificare, ac per Hypotiposin ob oculos ponere, ductus zelo quodam, Israelitas, ut ne uel minimo indicio conceptum animi dolorem ex deuastatione, fletu, clamore, ululatu, & ne nuncio quoquam Philisteis indicetur, horratur. neue genas lachrimis rigent, argumentumq; gaudij præbeant quo grauius insultare possint. Sic David lib. secundo. Samuel. cap. primo, mortem Saulis & Ionathæ deflēs: Nolite, inquit, annunciare in Gath, neq; annūciētis in compitis Ascalonis, ne forte letentur filij Philistinim ne exultent filij incircumcisorum. Gaudium equidem & insultatio, inimicorum miseriam auget.

Ephra ciuitas est tribus Benjamin. & est sensus, Kimhi interprete: Vos ciues Ephra, propter deuastatas uestras domus, inuoluite uos puluere, quod apud ueteres signum luctus fuit. Apud Hebræos pulcherrima nominum est allusio.

Esra, hoc est

בעבור בית וכל בית

עברי לכם Transi habitatrix Saphir

Verbum femininum singularis

numeri, quia ciuitatum nomina, colle-

ctiue sumuntur apud hebreos. לכם

uero pluratio ponitur numero mul-

titudinem ciuium significando, quod

R.S. adnotauit. Saphir ciuitatis nomē

à pulchritudine, & loci fertilitate forte

nomen sortita. Quare, inquit, tu quæ

quondam pulchra fertilisq; dicebaris

modo cum ciuibus tuis, omni honesta

te, pulchritudine, decoro priuata, abi

captiua. &c.

Ciues Zaenan, quæ ipsa & una è Iude

est ciuitatibus, te ubi captam uiderit, de

Samaria loquitur, omni cōfusione ple-

nam, nudatam & spoliatam omni ho-

nore, non egredientur, tuam ut deplo-

rent captiuitatem. Sic Esra. Porro Cal:

quem R. Salo. imitatus est: Non egredi-

entur ciues Zaenan te ut liberent, ma-

nusq; porrigant adiutrices, לא ימקון

בשריך יתבי צאנן Berthaezel, mer-

cedem sumet de uobis inimicus. & Esra.

בית

ביתחאצל ciuitatis nomen esse ait, quæ
 non egredietur ceteris ut auxilium ferat,
 planget, domi se continebit, cautior ali
 enis periculis facta. Alij ut nos reddide
 re, Ciues Bethhaezel, capti facient plan
 ctum, inimico auferente spolia, obsidio
 nis mercedem. Sunt enim prædæ hostiū
 præmia & autoramenta. R. Salo: Calde
 um imitatus Bethhaezel appellatiue in
 terpretatur. Descendendo in declinatio
 planctum facitote propter uiros fortes
 interfectos, pariter domus domui mini
 tatur ruinam, optima quæq; & desidera
 ta, prædam inimicus abducit, cuncta bel
 lo deuastantur, conteruntur omnia,
 unusquisq; bellum proximo mouet.
 Nec immerito, Ipsi enim domum do
 mui, agrum agro iunxistis, pauperes spo
 liaistis, terram soli, pulsos egenis, inhabi
 tare uoluistis, eadem iusto Dei iudicio
 lege talionis patimini, עיכיר לבון
 מספר במרר על קטילי גיביריכון בית
 צולאי בתי חמר הכון דהריתון אנסין
 ומקרבין דין לסטר דין בון יתנסיב
 מוכרן שפר ארעבון
 Nam

Nā habitatrix Maroth diuitiarū
gratia dōluit, nā malū à Domino
descendit ad portā Hierusalaim.
Iunge curros ad uehendum habi-
tatrix Lachis, ipsa initiū fuit pecca-
ti filię Zion. Etenim in te inuenti
sunt preuaricatores Israel.

Propter donaria Morescheth
Gath dabis, domus Achsib men-
tietur domui Israel.

Adhuc possessorem adducam
habitatrix Morescha, usq; ad Aes-
dulam ueniet gloria Israel.

Decaluare & detondere, super
delicatos filios tuos, dilata caluiciē
tuam sicut aquila, quia captiui
ducti sunt ex te.

Maroth ciuitatis opulentissime no-
men fuit. Veram opulentia, diuitijs,
fertili agro, hostili manu priuata, sum-
mo dolore affecta fuit. nam ut olim in
lege

lege Sempiternus est minatus, malum indignationis suæ, ad Hierusalem usq̃, quam etiam sibi unice delegerat, ubi nomen suum inuocabatur, à Deo demissum est. Amplificatio est transgressionis Israelis, qui peccatis suis ad tãtam iram, ut ne sanctæ ciuitati parceret, prouocauerunt. R. S. appellatiue Moroth accipit & חלה per קרית interpretatur: Quæ habitauit quondam in habundantia, diuitijs, expectauit bonum, diuinam benedictionem, quia uero rebellis, inobediens fuit prophetis monitaq̃ suscipere tenuit, ad iram Deum prouocauit, propria culpa hoc malum sibi accersuit. Ad eundem fermè sensum Caldeus paraphrastes hunc locum reddidit, in hoc uariat, quod eos sedisse, & expectasse legem, interim malum & afflictionem Hierusalem peruenisse. Iram Dei subindicans qui & legem & eruditionem omnem ab Israele abstulerit.

ארי רחות על שפר ארעא ומסברא
 לטב ומסברא למיתב לאוריתא מית
 העבדון ארי נחתת בישתא מין קדם
 יהוה למיעל בתרעי ירושלם:
 Quod

Quod nos diuitiarū gratia interpretati
sumus. Heb: בִּשְׁבַל דָּוָר doluit propter
bonum, habet: quia uero בִּשְׁבַל bonum,
opulentiam, diuitias in genere signifi-
cat, diuitiarum gratia, quo clarior effe-
sens, reddidimus. 70. uero τὸ εἰς ἀγαθὰ κατοικοῦσιν ὁ δ' ὕνας, ὅτι καὶ
ἐβη κακὰ παρὰ κυρίου ὑπὸ πύλας ἱερουσα-
λὴμ. Quis cœpit in bonum quæ habi-
tat in doloribus: sic Hieronymus.

Iunge curros. &c. Lachis regia quon-
dam ciuitas fuit Iosu: 10. quæ huic tribui
Iudæ sorte accessit. Iosu: ca. 15. cuius ha-
bitatores uates ad fugam hortatur, cum
tamen minime effugere potuerint, ca-
ptiuitatem prædicit, eā etenim Senche-
ribus uieta Samaria cœpit, ut 4. Reg: 18
legimus: Anno, inquit, decimoquarto
regis Ezechig ascendit Sencheribus rex
Assyriorum ad uniuersas ciuitates Iehu-
da munitas & cœpit eas. Tunc misit rex
Ezechias nūcium ad regem Assyriorum
in Lachis, dicens, peccaui, recede à me,
quodcunq; imposueris mihi feram. Est
itaq; sensus uos ciues Lachis iungite rhe-
das, fugite quàm uelocissime, ad est inia-
micus

micus, inite fugam, nec effugietis. Ratio nem reddit: mutata persona, emphasim habet. Ipsa principium est peccati filiæ Zion. Prima ipsa, Baal colere incœpit, Israelem imitando, Achē regi, qui ceteros impietate superauit reges, adulando. Iusto igitur iudicio Dei, primum inter ceteras Iudæ ciuitates capta fuit, cum preuaricatores Israelis in ea sint inuenti eadem pœna recte puniti. Rursus personarum mutatio emphasim habet. Quia in te, inquit, inuenti sunt preuaricatores Israelis. Hinc colligimus, neminem in factitio cultu esse imitandum, pendendum uero à solo Deo.

Propterea dabis donaria. Morescheth Gath, Palestinę ciuitas est, quam Dauid cepit, tributariāq; fecit. Eadem, Vates inquit, à te deficiet. uice uersa, tibi dominabitur, superiores obtinebit partes, te sibi tributariam reddet, tu donaria ac munera offeres, & quos olim socios, nunc inimicos habebis. Quod uertimus donaria של חרם Kim: מנחה munera, dona quę mittuntur &c. reddidit.

Achsib, & ipsa Iudę ciuitas fuit, Iosut
teste

teste, ca. 15. Cuius ciues in mendacium
erūt regibus Israel. Negabunt atq; desti-
tuent in se fidentes omni auxilio atq;
consilio. Pulchra uocum est allusio.
אֲבוֹרִים לְאֲבוֹרִים Dicuntur fontes & sca-
turigines aquam negantes אֲבוֹרִים ad
quos cum sitiens & calore estuans que-
rens refrigerium nec inueniens aquas,
solatio omni destituitur, laxantur mem-
bra, deficit spiritus, fessus animam age-
re incipit. Sic Achsib auxilium laboran-
tibus negabat. &c.

Adhuc possessorem adducam. Futu-
ram deuastationem pergit amplificare
uates. Ego, inquit, heredem alium ad-
ducam, qui terram tuam hereditario
iure, te in captiuitatem abducta, posside-
bit. Et ut tu quondam Cananeos è terra
sua expulisti. Sic Assyrius te expellet, è
terra tua, alijs colonis missis qui eam in-
habitabunt. Vt regnorum historia testa-
tur. 4. Reg: 17. Et rursus uocum est al-
lusio. אֲדוּלָּה אֲדוּלָּה ad אֲדוּלָּה

Vsq; ad Aedulam uenit gloria Israel
Hoc est, Inimicus qui iure hereditario
terram uestrà est possessurus Aedulam
C usq;

usq; ueniet. **הירוש** repetendum erit. Sic Kimhi. Fuit autem Aedulam una è ciuitatibus Iudę. Accedit huic sententię Caldeus Paraphrastes. Heredes, inquit, usq; Aedulam ascendent ad terminos, siue terminos Isreal ponent. **עיר ערולם** : **הסקו ויעלון בתהום ארעא דישראל** : Ascendisse enim legimus Sencherib ad omnes ciuitates Iudę, easq; obsedisse ac cepisse, terramq; omnem deuastasse, sola Hierusalem tanquam tuguriolo in agro relicta, quàm tamen etiam obsederat. Diuus Hieronymus pressius hoc hemistichium legendum dicit. **ὡς ἐν τὴν φρεσίν** ignominia uel uastitas sentiatur. **מ' בחם** : porro secus interpretatur, Persas qui ab Elam primogenito Sem, unã cum Caldeis terram Isreal possessuros ait, cuius uerba adscribere non grauabor.

ראוים היו כבי עילם לירש את ארץ ישראל שהראתה כבוד לבני שם ובשביל אחב' אבותיכם הסיבותיה לבני ארפכשד עתה אביא את בשורים ואת בני עילם עליהם
Decalua

Decaluare & detondere &c. *Προνοία* est. Terram enim Vates alloqui-
 tur, ut lugentium more, vastitatem suā
 ciuium captiuitatem defleat. Quorum
 mos fuit, asciscere sibi caluiciem, tondes
 re caput, abradere crines Ezech: 27. Con-
 spergant, inquit, puluere capita & cine-
 re, & radent super te caluiciem & accin-
 gentur saccis. Hier: 16. Hec dicit domi-
 nus: Ne ingredieris domū cōuiuij, neq;
 uadas ad plangendum, ne consoles
 eos, &c. & morientur magni & parui,
 in terra ista, non sepelientur non plan-
 gentur, non se incident, neq; caluiciem
 fiet pro eis.

Dilata caluiciem tuam sicut aquila.
 Devastationis est amplificatio, Israel
 equidem omnem exiit ornatum, po-
 pulus captus abducebatur, ciuitates de-
 populabātur, equatē solo iacebant, terra
 conculcabatur, nihil pulchri, ameni ni-
 hil reliquum erat. Vt Aquila quæ om-
 nes & pennas & plumas deponit, calui-
 ciem sibi terra dilatauit. Aquilam plane
 pennis ex integro denudari testatur Di-
 nus Ambro. in sermone de innouatio-
 ne

ne fidelium. Anis hec, inquit, assidua cō-
mutatione habitus sui, longam ducere
fertur etatem, & uetustate iam fatiscens
tibus plumis noua pennarum successio
ne iuuenescere, ita ut depositis antiquis
tatis exuijs, rediuiua indumentorum
natiuitate se uestiat. Vnde intelligimus
quod senectutem aquile non sentiunt
membra sed plumę. De nouo ergo se ue-
stit, & pullulantibus pennis uetusta ma-
ter iterum renouatur in pullum. Pullis
enim tunc comparatur, quando radian-
tibus plumis, necesse est illi rursus me-
ditari rudem uolatum, & alarum olim
exercitata remigia, tanquam nouella
uolucris intra nidū pigra compescere,
quamuis illi sit uolandi notitia de con-
suetudine, deest tamen illi de pennarū
raritate fiducia. Hactenus Ambro: Sic,
ut diximus, Israelitarum terra, omni or-
natu priuata, lugentium habitum in-
duit. Et sicut, uerno tempore, omnia cū
florent, pratum ridere, sic lugere hyeme
pratum dicimus. K. Aquila altitudi-
ne uolatus, ait, omnes superat aues, que
anno decimo superiorē aëris regionē ad
spherā

Spheram ignis usq; ascēdit, atq; illic pre-
nimio calore penne eius depilantur, &
excidunt plumę &c.

CAPVT SECVNDVM



æ qui cogitant uanum
& operantur malum
super lectis suis, in lus-
mine matutino faciunt

illud, quia robur est in manibus
eorum,

Concupierunt agros & rapues-
runt domos & abstulerunt, inius-
ria affecerunt uirum fortem & do-
mum eius, uirum & hereditatem
eius.

Vt Christus in Phariseos auaros, sic
Propheta in diuites inuehit, auaritiã &
pauperum oppressionem exprobrat. In
primo itaq; capite Idololatriã qua pec-
catur in Deum, in hoc, quibus pecca-
tum est in proximũ, exponit, pœnamq;
C 3 minatur

minatur. Væ his, inquit, qui cogitant vana, ut mali operari possint. Vana nomen ea quæ sunt seculi huius, fluxa cum sint atq; caduca, nam omnia orta occidunt auctaq; senescunt, nec aliud quam animi afflictionem afferunt secum, Salomone teste. Nocturno itaq; tempore diuites auari, domum domui agrum agro iungere cupientes, cōsiliū secū, proximum quonam pacto circumuenire uelint, ineuntes. Cum Deo loqui debebant, hoc enim tempus ceteris curis uacuum meditationi est aptissimū. Mox illucescente die, surgūt, ad opus se accingunt, uī, astu, potentia, diuites magni pauperes opprimunt, circumueniunt, iniuria afficiunt, ut ca. sequenti, uer: 11. latius dicetur. Concupuerunt agros & rapuerunt, &c. Prioris uersus est inter pretatio, ostendens quæ sint uanæ illæ cogitationes. Nempe quonam pacto proximum circumuenire possint, si non fraude & dolo, emptione uel mutuo. Vi manq; potenti prædia, agros, domosq; rapiunt, & occupant etiam morte intentata. Exemplo sit tibi Achab, qui ut

qui ut agrum Noboth Israelite, quem
 emptionis titulo acquirere nequibar,
 possideret, eo falso accusato & interfe-
 cto rapuit. Hinc & Esa: inuehendo in
 diuites auaros exclamat: Væ, inquit, iun-
 gentes domum domui & agrum agro.
 Et Hieremias: Væ qui edificat domum
 suâ in iniustitia & cœnacula sua non in
 iuditio, Amicum suum opprimet fru-
 stra & mercedem non reddet ei, &c. Au-
 diant hæc sacrificuli, nonni & nonne
 auari qui saturari nesciunt, omnia rapi-
 unt, ac si soli habitarent terram. Væ di-
 uitibus Christus ait. Vbi nos uer: 1.
 reddimus: Quia robur est in manibus
 eorum Heb: habet. **בִּי יֵשׁ לְאֵל יָדָם**
 Kimhi. **בִּי יֵשׁ בָּהּ לְעֶשֶׂק הַטּוֹיִם**
 Quia est facultas in manibus eorum ad
 opprimendum afflictos ac pauperes.
 Cald. **אֲרִי יָהּ הִילָא בִּירְיָתָא** Porro
 Septuaginta: decepti dictione **לֹאֵל** red-
 diderunt. **ΔΙΟΤΙ ἂν ἤγαυ πρὸς τοῦ θεοῦ**
χῆρας αὐτῶν Eo quod non leuarūt ma-
 nus suas ad Deum.

Esa. .5.
 Hierc. .22.

Ea ratione sic ait sempiternus.

C 4 Ecce

Ecce ego cogito malum aduersus hanc familiam, de quo non educes ceruices uestras, nec erecti ambulabitis, tempus enim afflictionis est.

Quia ditiores potentiores pauperes oppresserant, possessionibus spoliauerant, in seruitutem redegerant, iniuria affecerant, ac demum interfecerant, lege talionis, iusto Dei iudicio, eadem sunt perpeffi. Domos & agros illorum inimicus possedit, præde expositi fuerunt, hostili gladio ceciderunt, pars reliqua capti & in seruitutem redacti fuere, eadem qua mensi sunt mensura remensum eis fuit. Super familiam hanc, Attenuatio est, non enim eos dignatus fuit illo honoris nomine, non tribum, non populum aut gentem appellauit, sic & alibi. Familiã, inquit, quam eduxi ex Aegypto. Simul euerfionis facilitatem subindicat.

Malum de quo non educetis ceruices uestras. Iugum seruitutis notat, a quo suis uiribus colla subducere nequebant.

bant. Sic Hieremi: Iugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum, ut seruiant Nebucadnezer regi Babilonis. Nec ambulabitis erecti, Oppressi scilicet seruitute, curui, capitis bus demissis. Erecti, liberi, nullo seruituris iugo oppressi, incedere dicuntur. E regione, afflicti curui, ad terram proni. Abobus iugo alligatis similitudine mutata, qui proni ad terram demissis capitibus onera trahunt. Habet porro hic uersus pulchram antithesim, opponit Deum Deiꝑ cogitationes, hominibus, eorumꝑ cogitatis, oppressioni pauperum, captiuitatem &c.

In die illo, lamentator, carmē lugubre de uobis canet, dicetꝑ: De uastando deuastati sumus, pars populi mei commutata est.

Quomodo auferet quod meum est? Reddentur agri nostri. Diuidet.

Apud Veteres musica in summo precio fuit, ignorans eam indoctus habebatur

batur, affectus mouet, iram prouocat, lachrimas excutit, distractos colligit sensus. Hinc non solum in conuiuijs, prelijs, sed etiam in funeribus adhibebatur. Vt. Math. 9. legimus. Et Christus alibi ait: Lugubria uobis cecinimus & non plorastis. Quare propheta amplificando iram Dei aduersus Iudeos concepitam, inquit: Derisui eritis cunctis gentibus. Nam Lamētator nomine uestro, propter insignem deuastationem, lugubre carmen componet, ut spectaculo sitis omnibus hominibus & uniuerso orbi (quod *לשון* significat) dicetq;: Plane deuastati sumus, nihil reliqui nobis factum est. Pars populi mei commutata est, capta, abducta, terra nostra in coloniam redacta, inimici eam possiderunt. Traduxerat filios Israel Assyrius in terram suam, Cutheis & Babilonis terram filiorum Israel ad inhabitandum dedit, ex quibus Samaritę ortum duxere. 4. Reg. 17.

Quomodo auferet inimicus quod meum est: Per admirationem interrogant quoniam pacto id quod eis inius hereditas

Hereditarium, diuina promissione cesserit, inimicus auferre possit. Vanam spem filiorum Israel à pseudoprophetarum uaticinijs conceptam, notat. Vt Hierem. 7. Templum Domini Templum Domini clamabant perpetuo, quasi impossibile esse è terra posse eos perturbari ac eijci eo quod templum habebant. Et Hania Hierem. 28. inani spe lactabat Iudeos dicens: Confregi iugum regis Babel ait Dominus, dicebat. Pariter, capti ubi fuerant, falsi falsis prophetis, captiuitatem momentaneam fore credebant, reditum sperabant, in carmine dicebant: Reddentur nobis agri nostri. At postquam diuino oraculo predictam, ac re ipsa diuturnam captiuitatem fore senserant, omnibus palam uidebatur, Lamentator irridendo canebat: Diuider agros plane nostros, preualuit hostis, actum est. Accedit sententię nostrę Kim. Cogitabam, interpretando inquit, Deum Benedictum uelle nobis agros restituere nostros, uerum inimicus preualuit, eos diuisit sibi. Porro Septuaginta hunc uersum sic reddidere.

ταλαιπωρία ἐκταλαιπωρήσμεν, μερὶς
 λαῶν κατεμετρήθη ἐν χοινίῳ. καὶ οὐκ ἔστι
 κωλύσων αὐτοὺς τοῦ ἀποσπῆσθαι, οἱ ἀγροὶ
 ἡμῶν διμετρήσονται. Miseria miseri fa-
 cti sumus, pars populi mei dimensa est
 in funiculo, & non erat qui prohiberet
 illū ut auerteretur, agri nostri diuisi sunt.

Idcirco nō erit, qui tibi funem
 mittat in sortem, in coetu Sempit-
 terni.

Predicta Kimhi falsorum prophetarum nomine Vatem nostrum dixisse estimat, qui cum se falsos uidissent, diuersumq; à suis naticinīs omnia sortita fuisse finem, causam precedenti carminis deplorasse. In hoc prophetam nostrum illis respondere, ac poenam indicare ait. Nempe illos non habituros alium quem cum olim ex captiuitate reuersi fuerint, qui in diuidendis agris sortem illis sit missurus. Verum germanus propheta sensus esse nequaquam uidetur. Pergit uates noster deuastationem amplificare itamq; Dei aduersus filios diffidentię. Idcirco hoc uersu causam, quare cunctis

re cunctis gentibus ludibrio sint futuri
 ostendit. q. d. Quia domos & agros di-
 rupiſtis pauperum, terra ueſtra, agri, do-
 mus erepra ſunt, pręda facta, reditus ad
 eam non patebit, orbi eritis, poſterita-
 tem non uidebitis, eo quod orbos feci-
 ſtis multos, nec in populo Dei ullum ha-
 bebitis locum, quod & in lege olim prę-
 dixit. Leui. 26. Deut. 28. Sic Saulis, Hie-
 roboam, Hiehu poſteritas omnis fundi-
 tus eradicata fuit. Et decem tribus in ter-
 ram ſuam non rediere. Ex captiuitate
 Babilonica Iudeorum admodum pau-
 ci, aliorum reſpectu, cum Iehoſua. Zoro-
 babel, Eſra, Nehemia terram ſuam in-
 troierunt ac poſſiderunt. Demum quia
 Chriſtum filium Dei reiecerunt, Roma-
 nus miles terram promiſſam, captis, di-
 uenditis, diſperſis in uniuerſum orbem
 Iudeis, ſortitus eſt atq; poſſedit.

Nolite prophetare, prophetas-
 bunt. Nolite prophetare hæc, con-
 fuſio nos non apprehendet.

O domus Iaëcob, abbreviatus
 eſt ne

est ne spiritus Sempiterni? Nonne
hec sunt opera eius? nunquid
uerba mea benefaciēt iuste uiuēt?

אל הטיפו יטיפון לא יטיפו לאלה
לא יסג בלימות.

וְטַח quo usus fuit uates noster stillauit
proprie significat, pro loqui & prophe-
tate sumitur, testibus Esra & Kim. Nā ut
pluuia ad terram usq; eam irrigando de-
scendit & fructificat. Sic uerba ad aures
usq; peruenientes, animum, si attentum
inuenerit, secundiorem reddit. Sub per-
sona impiorum igitur uates ait: Nolite
prophetare. Veritatem quippe audire
recusant, nec disciplinam suscipere uo-
lunt. Esa. 30. Populus est, ad iram prouo-
cans & filij mendaces, filij nolentes au-
dire legem Dei, qui dicunt uidentibus
nolite uidere & aspiciētibus nolite aspi-
cere nobis quia recta sunt, loquimini
nobis placentia. Sic & filij Iehuda, qui
in terra ceteris abductis, captis, reliqui
manserant, Hieremiam audire uole-
bant, dicentes. Mendatiū loqueris, Do-
minus non misit te &c. Magis enim ho-
mines

mines, ut natura cōparati sumus, tenebras & mendatiū q̄ lucem & ueritatem diligunt. Hinc etiam in pœnam spiritum erroris, mēdaci, Deus immittit. Reg. ul. & Ro. 1. Diuus Pau. eadē ratione, gentes in reprobū sensum traditas fuisse, ait. Hieremias deniq̄, & se & uerbum Domini irrisui Iudeis fuisse, cōquestus est. Factus sum, inquit, in derisum tota die. Omnes subsannant me, quia iam olim loquor, uociferans iniquitatē, & uastitatem clamo, & factus est sermo Domini mihi in opprobrium & derisum tota die &c.

Quę plane temporibus nostris clarius uidere licet. Veritas profligatur, Verbum sempiterni prohibetur, prohibentur & ministri, ne quid aduersus humanas traditiones uel dicant, aut doceant, taceāt, humana magnificiāt precipitur. Est igitur sensus. Nolite nobis futura predicere mala, Sempiternus uos non misit, soline uos, relictis ceteris, spiritum Dei accepistis: nos ne gratia omni destituti: Quibus Dominus respondet: Prophetabunt. Velis, nolis

Verbum

Verbum domini audire cogeris in condemnationem, etiam prophetis ipsis prophetandi munus recusantibus. Nam etiam Hieremias ipse, se taciturnum sibi proposuerat, at se continere, spiritu afflatus, nequibat. Vt enim ignis erupit, seruari nescit, Sic uerbum Domini, proficit, flammam suscitatur, abscondi non potest, Hiere. 20. Rursus illi: Nolite nobis hæc prophetare confusio nos non apprehendet, terram perpetuo hereditario iure ut Deus promisit, possidebitis.

O Domus Iaëcob.

Bifariam hic locus legitur. וְאַתָּה in הַאֲמֹר בֵּית יַעֲקֹב Kimhi, demonstrandi, ac uocandi uim habere ait, quæ imitatumus. R. Salomon notam admirationis esse dicit, per segol punctatam, in fauorẽ sequentis litere gutturalis נ. Sensus est igitur. O tu quæ diceris domus Iaëcob at non es, patrem fide non refers, degenerasti, inane obtines nomen, falleris, uanis spebus falsi te seduxeris prophete, personarum acceptor Deus non

non est, externa non moratur. Dicitis porro: Est ne spiritus sempiterni abbreviatus: poenituit eum promissi: aut infirmior factus, promissa seruare nequit: Nūc hec studia Dei, ut perdat, cuius opus est seruare: Sic Hanania & Pashur apud Hieremiam, Sic falsi prophetæ Achab persuadebant. Quare scriptura perpetuo falsos prophetas monet esse cauendos.

Nonne uerba mea.

Responder dictę domui Iacob Vates, nomine sempiterni interrogatione, quę uim conuincendi maximā habet. Num uerba mea beneficient iuste uiuenti: Seruantibus & custodientibus præcepta mea, terram cum omni benedictione promisi, non transgressoribus legis, Abrahę & posteritati eius. At uos filij Abrahę non estis, non enim apelles, carne circumcisi, sed fidei imitatores, spiritu, non manu circumcisi filij sunt Abrahę, & ueri Israelitę. Nolite uano nomine gloriari, uosq; palpare.

Si uero aut notam admirationis reddideris, minarum & promissionum in
D lege

lege factarum refectio erit. Num dicta
domus Iacob, quę hoc tibi nomen usur-
pas, dicens: Num domus Iacob sum,
immota permanebo. Est ne spiritus Do-
mini abbreviatus: infirmior ne Deus
factus: Respondet uates: Qui Cananeos
propter peccata expulit, tibi si in uis
eius ambulaueris, eam concessit, ac cum
eadem & grauiora admittis peccata,
num te rursus expellere, ac inimicis tuis
eam tradere poterit: Num & hæc opera
sunt ac studia Dei: punire transgresso-
res, in impios iram effundere suam. Ser-
uantibus uero præcepta Dei, promissio-
nes & factę & seruataę sunt. Redit tamen
cum priori in eandem sententiam. Subi-
ta personarum mutatio, quę in prophe-
tis frequens est, difficultatem parit. Sep-
tuaginta, Hiero. interprete, hos uersus
sic reddidere. Nolite flere lachrimis, ne
que plorēt super his, non enim abiiciet
opprobria quę dicit. Domus Iacob pro-
uocauit spiritum Domini. Si hæc sunt ad-
inventiones eius, nonne sermones eius
boni sunt cū eo, & recti ambulauerunt:
μη κλαίετε δ' ἄγενοι, μή δὲ δ' ἀκροῦνται-
ται

ὅτι οὐκ ἔστιν ὡς τὸ πάλαι, ἔτι δὲ γὰρ ἀπώσεται ὁ θεός
 τὴν οἰκὴν ἰακώβ παρ' ὧν γίγνεται πνύ-
 μα κυρίου, ἐν ταῦτα τὰ ἐπιτηδεύματα
 αὐτῶν ὄντι, οὐχὶ οἱ λόγοι μετ' αὐτῶν, καὶ ὁρθοὶ
 θεωροῦνται.

Nolite flere: falsorum prophetarum
 consolatio, qua vulgum consolabantur,
 inaniq; spe lactabant, esse uidetur,
 ut Hanania apud Hieremiam fecit. Do-
 mus Iacob prouocauit spiritum Domini:
 Responsum est, quo deuastationis cau-
 sa redditur &c.

Et heri populus meus, sicut ini-
 micus, ut alius alium ueste spolia-
 ret. Gloria eum qui confidenter
 transibat denudastis, ac si è bello fu-
 gitiuus esset reuersus.

וְאַחֲמֹל עָמִי לְאֵיבִי יְקוֹמִם מִמּוֹל
 שְׁלֵמָה אֶרֶץ תְּפִשִּׁיטוּן מַעֲבָרִים בְּטָח
 שׁוֹבֵי מִלְחָמָה;

Kimhi. Esra & Salomon. Heri:
 מִמּוֹל. Caldæus מִקְבִּיל reddiderunt.
 id est הָרָר idem quod אֶרֶץ. בעבור in
 terprete Salomone,

Plurimum Iudæi de nomine Israel, Ia-
 D 2 cob pto

cob promissionibus Dei, falsi à pseudo prophetis gloriabantur, ut etiam indignabundi aduersus Christum, filios & Dei & Abrahæ, nec ex adulterio natos se iactitabant Pharisei. Qua fiducia freti, minus ueris prophetis credebant, liberiorius peccabant, quiduis committebant nec pelli è terra posse unquam sibi promittebant, Deum sacrificijs placatum iri, fide & charitate neglecta. Quare uates rursus, iniuriam, pauperum oppressionem, cõtempta lege, exprobrat, peccatum, pœnamq; illis infligendam ob oculos ponit. q. d. De familia, lege, iustitia & probitate, gloriatur populus meus, se palpat, sibiq; blanditur. Et heri (siue è diuerso) insurrexit ipse ac stetit, animo hostili, alius alium iniuria afficiendo, nam pauperes spoliarunt, egeos nos oppresserunt, honore & gloria desnudarunt, uestimenta rapuerunt, pigra ui è domibus inopum contra legem Dei abstulerunt, fratres hebreos in seruitutem redegerunt. Et qui confidenter, nullis expectatis insidijs præteribant depredebantur, relictì nudi, tanquam
fuga

fuga è bello elapſi, uita ſeruata, reuertuntur. Eadem per Hieremiam Iudeis uitia obijciuntur. Omnes, inquit, auaritię ſtudēt, à minimo uſq; ad maximū, pauper opprimitur, cauſa uiduę non iudicatur neq; ad aures cauſa pupilli peruenit &c.

Iuſto igitur Dei iudicio eadē ipſi ſunt perpeſſi. Illud, Gloria denudaſtis, ſubita perſonarum mutatio, emp haſim habet, & indignantis eſt affectus. Vos, inquam, propter uestem, ſpoliaſtis & omni honore exuiſtis fratres uestros miſericordia & omni charitate neglecta, humanitatis obliti. Et quia eiſdē nos laboramus uicijs, eadem nos pœna manebit: Septuaginta ſic habent.

Καὶ ἐμπροσθεν ὁ λαός μου εἰς ἔχθραν ἀντίστη, καὶ ἐναντί τῆς ἐκκλησίας αὐτοῦ, τῶν δούλων αὐτοῦ ἐξεδόξαμ τὸ ἀφελεῖσθαι ἐλπίδας συντριμμῶν πολέμου. Quę ſic Hiero. red didit. Et prius populus meus inimicicijs reſtitit, contra pacem ſuam, pellem eiꝯ excoriauerunt, ut auferrent ſpem contritionē belli. Ab Hebręo multum uariant, quid ſibi uoluerint haud intelligere poſſū, niſi forte ſubindicare uoluerint

filios Israel plus nimio suis credidisse
uiribus, restituisse Deo, causa interitus sui
fuisse, ac bello contriti omnem eis ab-
latam spem fuisse. &c.

Vxores populi mei, è domi-
bus deliciarũ expulistis, & de par-
uulis earum tulistis gloriã meam.

Alterum illis exprobrat uitium, adul-
terium scilicet. Vnusquisq; uestrum pro-
ximi uxorem adulterio polluit, hinc
repudiantur, cuius uos preberis cau-
sam, quibus cum in delicijs olim uiue-
bant. Delitiã nam mariti uxor est. Idem
Ezech. 33. Vnus, inquit, Abraham, Iudei
dicebant, terram possedit. Nos autem
multi sumus, nobis data est terra in pos-
sessionem. Idcirco dices ad eos: Hec di-
cit Dominus Deus: Quia in sanguine
commeditis, & oculos uestros leuatis
ad immunditias uestras, & sanguinem
funditis, nunquid terram hereditate
possidebitis? Steristis in gladijs uestris,
fecistis abominationes, unusquisq; uxo-
rem proximi sui polluit, & terram pos-
sidebitis: Et Hiere. 5. Saturavi eos &
merchati sunt & in domo meretricis lu-
xuria

xuriabatur, equi amatores in fœminas
& emissarij facti sunt, unusquisq; ad uxore
rem proximi sui hinniebat, nunquid
super his non uisitabo? dicit sempiter-
nus. Et in gente tali, non ulciscetur ani-
ma mea. Huic sententię accedunt, Esra
& Kimhi. Qui per עמרי pauperes intelli-
git & egenos עניים inquit, R. Salomon uero, Vxores populi mei
expulistis: Hoc est. Maritos interfecistis,
uiduas uxores reddidistis. Vt de Jehoia-
kim Ezech. 19 legimus. Incedit inter le-
ones, & factus est leo, didicit prædam ca-
pere, & homines deuorare, didicit ui-
duas facere, & ciuitates earum in deser-
tum adducere, mutuis enim cædibus &
innocentū sanguine defedarūt terram.

Et abstulistis gloriam meam.

Gloria Dei, teste Kim. Coniunctio est
uiri & mulieris, ut fructū ferāt, & multi-
plicetur, ea enim ratione, de costa Adā
mulier creata fuit. Hanc auferunt cum
adulterij causa uxor repudiatur, pro-
les non generatur, ob peccata mulieres
sterilesunt, uulue clauduntur, benedi-
ctionis loco, maledictio, ut in lege Deus
minatus est, immititur, terra deuasta-

tur, populus in captiuitatem abducitur, hereditate sua Deus priuatur, nomen Dei in gentibus blasphematur, Paruuli qui ut testa noua lege Dei imbui debebant negliguntur, patiuntur scandala, recte uates nomine Dei propter adulterium, gloriam Dei sublatam esse, conquestus est, Diuus Hierony . deuastatione terre & ciuitatum, quę sub uxorū & filiarum nomine ueniunt, ut Esa. 32. Mulieres opulentes surgite &c. intelligit. Ab infantibus gloria est sublata. Psalmo .136. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

Septuaginta de perpetua captiuitate hunc uersum intellexerunt, sic enim reddiderunt.

Διὰ τὸ τοῦ ἡγουμένου λαοῦ μου ἀπορρίψαντες ἐκ τῶν οἰκῶν Τευφῆς αὐτῶν διὰ τὰ πονηρὰ ἐπιτηδεύματα αὐτῶν, ἐξώδησαν, ἐγγίσαι ὁρῶσι αἰωνίοις. Duces populi mei proijcientur de domibus deliciarum suarum, propter malas inuentiones suas eiectionis sunt, propinquate moribus æternis.

Surgite, abite, non est hæc requies

quies, propter immunditiam deuastaberis, corruptione ualida.

Non impijs, legem, foedus, pactum meum non seruatis, sed pijs in uis meis ambulatis terram hanc promisi, & iure hereditario possidendam tradidi, at uos peccatis uestris eam contaminastis, irritum pactum meum fecistis. Surgite igitur, abite, haec requies uestra non est, deuastabimini, ualida fortique deuastatione, perpetua captiuitate. Alludit ad illud Leuiti. 20. Custodite leges meas atque iudicia & facite ea, ne & uos euomat terra, quam intrauri estis. Et Deut. 4. Testes hodie in uos coelum & terram, quod cito perituri sitis de terra, quam transito Iordane intrabitis &c. Vbi hebra. **חבל במרץ** deuastatione ualida. Septuaginta dixere. **κατεδιώχθητε ἀπὸ τοὺς διώκοντες**. Fugistis nemine persequente. Vt est Leui. 26.

Si uir quispiam esset, qui uana loqueretur, mendacia proferret dicens, prophetabo tibi, ad uinum, inebriare, profecto populo huic

D s accep

acceptus esset propheta.

Recusabat populus audire prophetas se corrigentes, dicebant enim: Noli te nobis prophetare &c. ferre enim legem Dei nequibant, sua querebant, placencia audire cupiebant, prurientes habebant aures, diligebant mendacia. Igitur Vates animaduertens populum diuinis preceptis surdas prebere aures, abnegare ueritatem, plorans uices Israelitici populi, exclamat: Utinam quis pia esset qui uento loqueretur, mendacia predicaret, leta annunciarer, quiduis permitteret, ut secundum libidinem uiuerent, dicens: bibite, inebriamini, gaudete, Dominus dabit uobis requiem in loco isto, hunc prophetam agnosceret, illum magnificerent. Non me qui ueritatem dico, uoluntatem Domini annuncio. Hi sunt falsi prophetae, qui pacem promittunt ubi pax non est, Hiere. 8. Et dicunt: Non uidebitis gladium & fames non erit in uobis. Hiere. 13. Nec mediocris poena est, ac ire Dei indicium falsos immittere prophetas, ut testatur Deus ipse Ezech. 14. Propterea alloquere eos, inquit, & dicad

dic ad eos. Sic dicit Dominus Deus:
 Quicumq; de domo Israel ascendere fe-
 cerit Idola in cor suum, & offendiculū
 iniquitatis suę posuerit contra faciem su-
 am, & uenerit ad prophetam, Ego Do-
 minus respondebo ipsi uenienti in mul-
 titudine Idolorum suorum. Et. 1. Reg.
 ul. Achab Micheam audire noluit, fallis
 credidit prophetis, & in bello cecidit.
 Eadem D. Paulus uaticinatus est: Nam
 tempus erit, inquit, cum sanam doctri-
 nam non sustinebunt, sed iuxta concu-
 piscencias suas, coaceruabunt sibi docto-
 res, hi qui prurientes habent aures, & a-
 ueritate se auerterunt, ad fabulas con-
 uersi &c. Quod & nobis contigit qui
 traditionibus hominū, Euangelio plus
 credidimus. Huic sententię Septuagin.
 subscribere uidentur. *πνδύμα ἐς ποσὶ ψευ-
 δῆς, ἐσαλαφέσοι εἰς οἶνον καὶ μέθυμα, καὶ
 ἔσαι ἐκ τῆς σαγόνος τοῦ λαοῦ τούτου.* Spi-
 ritus mendacium statuit, stillantes ad
 uinum & ebrietatem, & erit ex stilla po-
 puli huius. Vbi Septuaginta posuere
ἐσαλαφέσοι. Heb. habet *הנחש*. Quia
 populus placentia cupiebat audire, de
 creuit

creuit, spiritus eis anūciare mēdacium,
ideo falsos illis permisit prophetas, qui
ad uinum & ebrietatem incitarent, om
ni securitate promissa.

Quod nos reddidimus, uana loque
re. Heb. **אִישׁ הָלַךְ רֵוָח** Adagium est,
Ambulans uentum. Vt apud nos, loqui
uento, In uento piscari: est autem, uana
num ducere uitam & loqui menda
cium, quod enim sequitur prouerbij est
interpretatio, nempe **שֶׁקֶר כֶּזֶב**. Ideo
uana loqui interpretatus sum.

Congregando congregabo Ia
cob, totum te colligēdo colligā, re
liquias Israel unā ponā, oues sicut
Bosrah, ut gregem in medio caule
sue, tumultuabūt prę hominibus.

Fractor sepiū pręcedet eos, perrū
pent, & trāsibunt per portā ac egre
diētur per eā, rex eorū pręcedet eos
& sempiternus in capite eorum.

Bisariam hic locus interpretatur. Pri
mo ut cohereat prioribus, nempe ut sit
quali

quasi relatio, falsorum prophetarum,
 uaticini, quibus & mox ca. sequenti in
 teritū minatur, eò quod blanditijs sedu
 xerint, & peccare liberior filios Israel fe
 cerint, prophetantes sub nomine Dei.
 q. d. Hec dicit Dominus: Congregans
 congregabo Iacob &c. Sic Hanania de
 Gaban. Hiere. 28. uaticinatus fuit dicēs.
 Hec dicit Dominus exercituum Deus Is
 rael. Contrui iugum regis Babilonis,
 adhuc duo anni & ego referri faciam
 ad locum hunc omnia uasa Domini,
 quętulit Nabuchodonosar rex Babilo
 nis de loco isto, & transtulit ea in Babi
 lonē. Et prophete Achab dicebant: Ascē
 de ad Gilaad & Dominus erit tecum
 3. Reg. ul. Prospera etenim semper præ
 dixerunt, aurāq; captabant uulgi. Porro
 & si prospera prædicere nonnunquam
 uidebantur, diuersum tamen sepe acci
 dit, ea quę prædixerant euenerunt, & ut
 dixi præter uoluntatem contrarium in
 duxere finem. Vt hoc loci uidere est, spe
 rabant hoc uaticinio predici prospera,
 infœlicia cū obuenerint uniuersa. Nam
 præ timore, imminente ultimo pericu
 lo, tan

lo, tanquā oves in caulas, reliquie Israel
in ciuitates munitas fugierunt & congre-
gati fuere. Fractor sepium præcessit eos.
Noctu portam aperuerunt, per hortum
regis fugam inire meditarunt. Præcessit
Sedechias rex fugientes. Aderat sempi-
ternus in capite, qui eos tradidit in ma-
nus Caldæorum. 4. Reg. ul. Est uero Bos-
rah ciuitas magna, populosa, pascuis
uberrimis, pecoribus multis gaudens.
Sic Kimhi. בצרה עיר גדולה מאד.

יהיה ארץ מקנה ומקנה רבבה
Huic sententię atq; interpretationi Esra
& Kimhi subscribunt.

Alij uero, ut Diuus Hieronimus & R.
Salomon, diuersam sequuntur sententiā.
Mos prophetarū frequens est, in electo-
rum consolationem, minis redemptionis
promissionē inferere. Et erit sensus.
O Iacob, falsi prophete, impijs summā
securitatem & foelicia quęq; promittūt
Ego porro te qui uere Iacob es congre-
gabo : Ego sempiternus Deus patrum
tuorum, te inquam totū, quocunq; spar-
sus fueris, colligā, reliquię namq; Israelis
seruabuntur. Vnā ponā eum: Apostro-
phe est

phie est, non absq; emphasi. In ouile unū adducam Israelē, rex unus super eum regnabit, & pastor unus. Imo ipse ego muri ignei loco ei ero, habitabitq; confidenter, & qui eum tetigerit, facilius pupillam oculi sui attigisset.

Ne porro de pecoribus mentionem fieri credas. Perstrepent omnia ex multitudine hominum, facileq; uiri Israelitę fideles omnem numerum & stellarum cœli, arenęq; littore maris, superabunt, Ierusalem deniq; absq; muris inhabitabitur. Non enim in Iudeę angustijs tantummodo notus erit Deus, sed in uniuerso orbe terrarum. Precedent eos qui uiam parabunt, sentes & tribulos excidentes, fabri lignorum caesores, ac fossarii, qui aspera in plana, obliqua in recta uertēt, sicut de Ioanne Baptista, prophetis ac apostolis legimus. Et perumpet rex, Christus macerię diruens, ex utroq; pōpulo unū faciens, principem mundi huius efficiens, portam qua ingreditum & egrediēdum sit, aperiens, in cuius capite est Sempiternus. Nani caput Christi Deus, in quo omnis diuinitas corpora

corporaliter habitauit, ac Deus ipse cum
ita cū quę in cœlis tum quę in terris sibi
recôcilauit, qua de re infra .ca. 4. latius.

R. Salomon de liberatione à captiui-
tate Babilonica sub Cyro & Dario facta
intelligit. Ducibus Zorobabel & Ieho-
sua, spiritu Dei, Iudęi in terram suam
sunt reducti. Caldeus paraphrastes de
liberatione per Messiam faciendam est
interpretatus hoc uaticinium. Congre-
gando congregabo uos. O domus Ia-
cob, omnes uos appropinquare faciā,
reducam captiuitatem uestram, reliqui
as Iacob, unā ponam eum, tanquam
oues in medio ouilis, & gregem in me-
dio caulæ strepent prę multitudine ho-
minum. Ascendent ante eos liberatores
& rex dux erit in capite eorum, inimici
eos eorum perdet, qui eos afflixerunt,
subiugabit munitiones fortissimas, ciui-
tates populorum possidebunt, & erit
rex eorum in capite illorum, & uerbum
sempiterni auxiliabitur eis. Manifestis-
sime de liberatione, quę uere per Chris-
tum seruatorē implenda erat, loquens.
Sed Caldeum adscribere non pigebit.

כסופא כנישא אבני שכון דבית יעקב
כולכון קרבא אקריב גלותכון שארא
דיעקב כחרא אשוניון בענא בגו
והשרא בעררא בגו וידא חמן מסגי
איושא י יסקון משיו בין בר
בקדמהא ויסק מלך מדבר ברישחון
ויהבר בעלי דבבא דמעיק לחון
ויבביש ברבין הקיבין קירוי עממיא
יחסוניון ויהי מלכיהון מדבר ברי
שיחון ומימרא דיהיה בסערהון

Septuag. huic fermè sententiæ accedunt.
Συναχόμενος συναχθήσεται Ιακώβ σου πᾶς
σιν, ἐκδεχόμενος ἐκδέξομαι τὸς καταλοι-
ποὺς τοῖς Ισραὴλ ὡς τὸ αὐτό, θήσωμαι τὴν
ἀπόστολὴν αὐτῶν. ὡς πρόβατα γὰρ θλίψις
ὡς ποίμνιον γὰρ μεσση καί τις αὐτῶν, ἐξε-
λοῦνται ἐξ ἀνθρώπων. ἀνάβηθι διὰ τῆς
διακοπῆς, πρὸ προσώπου αὐτῶν δέξομαι
καὶ ἐξῆλθον πύλῳ, καὶ ἐξῆλθον διὰ αὐτῆς,
καὶ ἐξῆλθον ὁ βασιλεὺς αὐτῶν πρὸ προσώ-
που αὐτῶν. ὁ δὲ κύριος ἡγήσεται αὐτῶν.

Quæ D. Hieronimus sic reddidit. Con-
gregandus congregabitur Iacob cum
omnibus. Suscipiens suscipiâ reliquias
ex Israel. Ponam auersionem eorum
sicut oues in tribulationem, qua si gre-

gem in medio cubilis eorum, exilient
ex hominibus. Ascende per diuisionem.
Ante faciem eorum diuiserunt,
& transiuerunt portam, & egressi sunt
per eam, & exiuit rex eorū ante faciem
eorū, Dominus autē princeps eorū erit.

CAPVT TERTIVM



DT dixi: Audite quęso
primores Iacob & prin-
cipes domus Israel. Nū-
quid uestrum est scire iudicium?

Odio habent bonum, diligunt
malum, excoriant eos, carnem eo-
rum deradunt ab ossibus eorū.

Comederunt carnē populi mei,
& pelle eos denudarunt, ossa eorū
confregerunt, in frusta concide-
rūt cocorū more, ac si in lebetes, aut
carnes eorū in olla esset coquēde.

Tunc clamabunt ad sempiter-
num,

num, & non respondebit eis, & abscondet faciem suam ab eis, quem admodum nequiter egerunt in studijs suis.

Redit post consolationem piorum, ad principum ac potentiorum correptionem, qui egenos & pauperes summa iniuria affecerunt, & inuehit in eos tanquam in fontem & capita omnis mali. Iudicum munus est nosse diuinam uoluntate, cuius executores sunt constituti. Ex. 18. Deut. 1. Ro. 13. Hinc Iosaphat. 2. Paral. 19. iudicibus preceperat, dicens. Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, & quodcumque iudicaueritis in uos redunabit, sit timor Domini uobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non enim est apud Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupidumunerum &c. Hi uero inuertent cuncta, non officium sed dignitatem, non munus sed tyrannidem sibi obuenisse credebant, sua, non qua Dei aut proximi, querebant, cum austeritate im-

perabant, propriam explentes uoluntatem, De quibus Esaias : Quomodo facta est meretrix fidelis plena iudicij : Iusticia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum uersum est in scoriæ, uinum tuum mixtum est aqua. Principes tui transgressores, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, nec causa uiduæ ingreditur ad eos. Et Ezech. clamat: Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædã, ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, auare sectando lucra. Quomodo uero pastores constituti, gregis curam non egerint, sequesierint, cuncta rapuerint, idem uates conquestus fuit ca. 34. Hierem. ca. 23. Ipsi ergo male cum uiuant, facillime ignobile uulgus, ad imitationem, ad quod etiam natum est, prouocant, imitant atque trahunt. Sed audiamus prophetam ipsum. Audite, inquit, principes Iacob, Num uestrum est nosse iudicium : est, inquam, munus uestrum, iudicare iuste, legem Dei diu noctuque manibus terere, secundum Dei præceptum cuius geritis

geritis uices. At, odio habent bonum.
 Subita hæc personarum mutatio, emphas-
 sim habet, respondet sibi uates, secum
 loquitur. q. d. Quid dicam? Odio ha-
 bent bonum, diligunt malum, qui ius-
 su & exemplo sempiterni, defendere ui-
 duas, tueri pupillos, aduenis, peregrinis
 porrigere manus debebant, miseros ex-
 coriant, substantiam auferunt, pauperi-
 bus reliqui nihil faciunt. Carnem eorum
 deuorantes ut cibum panis, spem denique
 etiam uitæ omnem adimunt. Quod
 ait, pellem diripiunt, Hyperbole est cum
 metaphora, qua inexplebile principum
 auariciam & tyrannidem non satis expri-
 mere potuit. Mutuata similitudine a ue-
 natoribus & coquis, qui pellem detra-
 hunt, carnem in frustra concidunt, ossi-
 bus quibusdam abiectis, concisa uero re
 integrari nequeunt. Sic illi pauperes op-
 primebant, iniuria afficiebant, sangui-
 nem innocentem, sublati omnibus di-
 uitijs, effundebant, omnemque recupera-
 di uires, spem egenis adimebant. Meta-
 phorâ Caldeus paraphrastes exprimit,
 per pellem & carnem diuitias ac substan-
 E s tiam

tiam, per concisionem, oppressionem pauperum intelligens.

Tunc clamabunt. Tunc, cum inimicus obsidione eos cinxerit, armata manu incursiones fecerit, terram deuastauerit, ceperit, eosque uinctos abduxerit, tunc inquam clamabunt ad sempiternum, & non exaudiet eos auertet faciem suam ab eis. Antithesis est. Principes, pauperum, cum opprimebantur, clamores non audierunt, causa uidetur & pupilli, non ullum apud illos habuit locum, ad clamores eorum Deus surdas aures prebebit. Spoliarunt egenos, Deus eos omni priuabit honore. Effuderunt sanguinem innocentem, hostili gladio ipsi peribunt. Hereditate sua pauperes denudarunt, & ipsi terra promissa quam iure hereditario possidendam acceperunt, expellentur. Nequiter egerunt omnibus suis studiis, irridebuntur ab inimicis, ea de quibus ipsi fecerunt alijs parietur. Audiant & corde percipiant hec tyranni nostri, nam si non resipuerint, maior eos manebit poena.

Sic loq

Sic loquitur sempiternus, ad prophetas seducentes populū meum, mordentes dentibus suis & predicāt pacē, & qui in os non derit quicquam, aduersus illum iustruunt bellum.

Propterea nox uobis erit pro uisione, tenebrę uobis erunt pro diuinatione. Et sol occidet super prophetas istos, & caligo erit super eos in die.

Pudore afficiētur uidentes, & erubescēt diuini, omnes faciē operient, quia respōsum Dei non est.

Falsis prophetis, in quos presenti capite omnis mali culpam uates reijcit, perniciosius excogitari nihil potest. Nā promittendo pacem, peccatores securis ores reddunt quo minus de impietate reuocent pedem. Quod tēpore nostro luce clarius uidere est. Quid pestilentius excogitari potuit unquā? Quid peccan

di maiorem prebuit licentiam : in peccatis securitatem : ampliore in proximum grassandi aperuit ianuam, parauit niam Indulgentijs, missis, peregrinationibus & his similibus. Hinc cedes, usure, periuria, imposture, deceptiones, incestus, & omne malum, ortum duxere. Creditum enim fuit, dispensationibus & indulgentijs, pro quouis etiam atroci, maximo, non nominando uitio Deum placatum iri. Sic falsis prophetis Achab. 3. Reg. ul. Iechonias, Sedechias, cum uniuerso populo seducti fuere. Hinc etiam capti fuerunt, abducti: Hiere. 28. Cauendi sunt ergo, ut nos Hiere, admonet, falsi prophete. Vos ergo nolite, inquit, audire prophetas uestros, & diuinos, & somniatores, qui dicunt uobis : non seruietis regi Babilonis, quia mendacium prophetant uobis, ut longe faciant uos a terra uestra, & eijciant uos ut pereatis. Et Ezech. 13. minatur eis interitum, eo quod uanitates cordium sub uaticinij nomine predixissent. Denique & Christus & Apostoli eos esse cauendos hortatur, Math. 7. 2. Pet. 2. 1 Tim. 4. &c.

Morden

Mordentes dentibus suis.

Vel quod prædicando pacem uulnera inferant, peccandi occasionem, securitate, præbendo. Prouer. 27. Fidelia sunt uulnera inflicta à diligente. Sed dura sunt oscula inimici. Nam R. Leui Ben Gersom. Vulnera, inquit, & correctio amici, à malis retrahunt, cum diuersum agant inimicorum oscula: Vel, quod pacem prædicando sua quærant, & sub pietatis specie deuorent populi substantiam, Esai. 5. Væ qui iustificatis impium pro munere, & iusticiam iusti auferitis ab eo. Et Math. 23. Væ uobis scribæ & Pharisei hypocritæ qui comeditis domos uiduarum &c. Inexplebilis enim sacerdotum auaricia erat. Quod uero dicit, mordent dentibus suis, Ab usura metaphora desumpta uidetur, quæ hebreis נשנש dicitur. Vt enim usura solum omnem substantiâ absorbit, serpensq; morfu hominem inficit, taciteq; uirus in omnia diffunditur membra, donec infecerit totum: Sic falsorum prophetarum blandiloquentia, nescium uulgus seducit, donec in erroribus submersæ

E s rint

runt totū, & in ultimam duxerint necessitatem. Quod in hominibus factitigreligionis nostro tempore uisum fuit, qui sub religionis specie uniuersum orbem falsa religione seduxerunt, ac omnem fermē mundi substantiam deuorarunt.

Et qui non dederit.

Rebus in omnibus sua quesuere, uentri plane inseruientes pro uino & muneribus uaticinabantur, qui postulata dabat, huic prospera, qui uero minus, huic mala perdicebant. Sic רמון מויביל לחון

שרון רבסר ריח
מתוכן עלוהי שלמא ורלא לחון
מומנין עלוהי קרבא

Hinc oblationum frequentia, numerariorū mensē, & id genus alia, ortum duxere, & propter suas traditiones pactum sempiterni irritum fecere.

Propterea nox erit.

Omne uobis obueniet malum, tribulationes, angustie, & mors uos apprehendet. Prouerbialis est senarius. Esa. 13. Obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. Hiere. 15. Occidit

Occidit ei sol, cum adhuc dies esset. Et
 rursus Esa. 5. Aspeximus in terram & ec-
 ce tenebre tribulationis, & lux obtene-
 brata est in caligine eius. Et Math. 24.
 Statim aut post tribulationem dierum illo-
 rum sol obscurabitur & luna non dabit
 lumen suum, & stelle cadent de coelo.
 Quibus summa & extrema necessitas
 significatur. Vulgato denique apud nos
 proverbio idem subindicatur, in ultimā
 cum quis inciderit calamitatem dicimus.
 In coelis hic stellam habet nullam. Sol
 illi lumen denegat suum. Sol huic non
 lucet. Ita & uates omne malum, falsos pro-
 phetas apprehensurum significare uoluit.

Habent autem omnia pulcherrimam
 antithesim. Visioni enim noctem, diuina-
 tionem tenebras, occasum solis prophe-
 tie, caliginem subobscuram diei. Et iterum
 uisioni confusionem, Diuinationi eru-
 bescentiam, libertati loquendi & temerari-
 tati, faciei absconsionem, opponit.
 Cum omnia diuersum sint obuentura
 que predixerunt ipsi. Predixerunt securi-
 tatem, uenit lis, tumultus timor & tres-
 mor: Pacem, & uenit bellum; Libertatem,
 & capti

& capti fuerunt. Rationem superiorum
uates noster reddit, dicens: Quia respō
sum Dei non habuerunt. Visiones cor
dis sui uiderunt, Cucurrerunt & nemo
misiit eos. Vbi apud hebreos legimus.

בִּי אֵין מִעֲנָה אֱלֹהִים Septuag. dixere
διότι ἔκ ἐσίμ ὁ ἐπακδωρ αὐτῶν.

Veruntñ ego repletus sum robo
re spūs sempiterni, iudicio & forti
tudine, ad annūciandū Iacob trās
gressionē suā, & Israel peccata sua.

Q. D. Ego uerus, non falsus sum pro
pheta, ut ij qui responsum Dei non ha
bent. Virtute namq; spiritus sempiterni
repletus sum. Iudicio & fortitudine, Iudi
cio illis iudicium, iram, supplicium pre
dicando. Virtute, indicando scelera.
Fortitudine, timendo neminem. huic
nostre sententię accedit Kimhi. Haud
pude fieri potest qui ueritatem loquitur,
nec est unde sibi timeat cū eandē habeat
proteatricem. Mendaces securi esse ne
queunt, cum nihil sit tam occultū quod
non reuelabitur olim, cū summno eorū
malo, Quod falsis prophetis Helię tem
poribus

poribus contigit. Contigit & Pape & sacrificulis ætate nostra. Porro cum ait, se spiritu sempiterni repletum, munus officiiq; suū commendat, nihil sui, sed que Dei sunt, se loqui. Sic Christus. Verba que loquor nō sunt uerba mea, sed eius qui misit me patris. Et Paulus periculū ne facere uultis eius qui in me loquitur Christi? Quod uero subiungit, Fortitudine se præditum, Diuinam sibi adfore præsentiam indicat, homines se non timere. Sic Hierem. 6. Probatorē, dicit sempiternus, dedi te in populo meo robustū. Et Esa. 58. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta uocem tuam, & annuncia populo meo scelera sua &c. Et Deus suis se defuturum nunquam promittit. Hinc Prophetę & Apostoli, magnanimiter populo peccata sua indicauerunt, correxerunt, nec blanditijs, nec minis silentium sibi imponi permisere.

Audite queso hæc, capita domus Iacob, & principes domus Israel, qui abominamini iudiciū,
& omnē

& omnem peruertitis æquitatem:
Qui ædificatis Zion in sanguinibus,
& Ierusalaim in iniquitate.

Principes eius pro munere iudicabant. Sacerdotes eius pro mercede docebant. Prophetę eius pro argento diuinabāt, & sempiterno innitebantur, dicendo: Num sempiternus est in medio nostri? non ueniet super nos malum.

Idcirco propter uos Zion ut ager arabitur, & Ierusalaim in aceruum erit lapidū & mons domus huius in excelsam sylvam.

Cōmendato suo munere, nec quere re sua, ex afflatu spiritus futura prædicere, Deum se habere protectorem, haud curare homines, Vates, ad præsidium, sacerdotum & prophetarum redit increpationem, inexplēbile exprobrans auariciam, radicem omniū malorū. Nam quid non mortalia pectora cogit, auri
sacra

facra fames: Quare exclamat: Audite
quæſo O reges, principes, Iudices do-
mus Iacob, domus inquã Iſrael. Empha-
ſim hæc habent, in mediũ patrem illorũ
Iacob, qui propter fidem Iſrael à Deo
dictus fuit, profert, ut uideant quã dege-
nerarint, & diſpares moribus ſint facti.

Qui abominamini iudiciũ.

Vestrum erat iuste iudicare, ſecũdum
preſcriptas leges Dei, quibus omnis iuſti-
cia continetur, ſed diuerſum agitis, iudi-
cium iuſtũ uobis eſt abominatio, æquis-
tatem omnem peruertitis, diuina iura
negligitis, ſecundũ cupiditatem cordis
iudicatis, quemadmodum recte con-
queſtus fuit Eſaias, dicens: Væ qui con-
ditis leges iniquas, & ſcribentes, iniuſti-
ciam ſcripſerunt, ut opprimerent pau-
peres in iudicio, & uim facerent cauſe
humilium populi mei &c.

Qui ædificatis Zion.

Qui Zion, inquã, quondam iuſti-
cię ciuitatem, ſanguine pauperum, hoc
eſt rapina, cede, egenorum oppreſſio-
ne, diuitias, domus, agros uobis congre-
gantes

gantes edificatis, alienoq; labore uestras
cōstruitis domos. Videns itaq; prophe-
ta, uniuersa iniquitate plena, mox muta-
tis personis, cogitabundus secū loquēs,
omnis mali rationē reddens, inquit,

Principes pro munere iudicāt.

Nemunera acciperēt Iudices, aut per-
sonarum haberēt respectum prohibuit
Deus, quia munera excecant oculos sa-
pientum, & iudicium prudentum euer-
tunt. At illi omnia habebant uenalia,
sententias & suffragia uendebant, mu-
nerum gratia quiduis faciebant.

Sacerdotes quoq; ex quorum ore lex
requirebatur, accepta mercede, ad uo-
luntatem dantis, eam interpretabantur.
Itidem, ut paulo ante demonstratum
est, prophetæ faciebant. Ventris enim
gratia omnia fiebāt. Hinc facillime col-
ligere licet, qualis temporibus istis rei-
pub. Israelis facies fuerit. Nihilominus
innitebātur Domino, gloriabantur de
præsentia Dei, de templo, de oraculis,
de fœderis arca, dicētes: Nunquid Deus
est in medio nostri? Non ueniet super
nos

nos malū. Sic clamabant apud Hiere.
dicentes: Templum Domini, Templū
Domini, Templū Domini. Hęc eadem,
propter quos & scripta sunt, nobis dicū
tur. Dic quęso quę nō sunt uenalia: quę
pecunijs non emuntur. Iudicia, senten
tię, litere, accusationes, causę. Sacramēta,
peccatorum remissiones, uita æterna, si
dñs placet, & purgatorium, æternūq;
supplicium, pecunijs uel emuntur, uel
expiantur, amor nummi regnat ubiq;.

Idcirco propter uos.

Propter peccata uestra. Zion, ciuitas
illa sancta, quā sibi, nominiq; suo elege
rat Deus, illic ut inuocaretur, ut ager ara
tro scindetur, in sulcos conuertetur, nec
lapis super lapidem relinquetur, san
guine eam innocentum quia replestis,
& mons Domus Domini erit in syluam
saltūq; crescet, frustra igitur gloriamini
de templo, de pręsentia sempiterni &c.
Meminit uaticiniј huius Hiere. cap. 26.
Surrexerunt ergo uiri, ait, de senioribus
terre, & dixerunt ad omnem cœtum po
puli loquentes, Micheas de Morastim
F fuit

fuit propheta in diebus Ezechie regis Iuda, & ait ad omnem populum Iude dicens. Zion quasi ager arabitur, & Ierusalem in acetuū lapidum erit, & mons domus Domini in excelsa sylvarum.

Vbi heb. legitur *וְהָיָה הַר הַיְיָ כְּעֵדֶן*
 Greci habent. *καὶ Ἰσραὴλ ὁπωροφυλάκειος Ἰσα:* Et Israel pomorū custodia erit.

CAPVT QVARTVM



Terit nouissimis temporibus, mons domus sempiterni preparatus in uertice montium, & eleuatus super colles, & confluent ad eum populi.

Et ibunt gentes multe, & dicēt: Venite ascendamus ad montē sempiterni, & ad domum Dei Iacob, & instruet nos de uis suis, & ambulabimus in semitis eius, quia de
 Zion

Zion exhibit lex, & uerbum sempiterni de Ierusalaim.

Postquam extremā deuastationem, principum, sacerdotum, falsorum prophetarum gratia, qui Israelem suis peccatis in defectionem à Deo abduxere, & ablatum iri regnum ab eis, interminatus fuisset, ut etiam Hierem. 23. 33. Ezech. 34. Esa. 1. rursus hoc capere consolatur pios. Vbi enim carni desperata uidetur omnia, promissionum immemorem credit Deum, nec addicta seruaturum, præter spem, seruat, misericordiā ostendit, fidelē se demonstrat, ac gloriam suā, quam Ezechiel amouendam imò amotam uiderat, in domum suam restitutam promittit.

In nouissimis, inquit, diebus, post extremam illam deuastationem, post captiuitatē Babilonicā, Mons domus Domini, qui aratro in sulcos uersus erat, præparatus, firmus, stabilis, immotus, יְהוָה uel ut Septuag. dixere, ἱερὸς illustris, nomine & fama celebris erit, montibus collibusq; sublimior, cunctis hominibus

bus conspicuus. Nam ea quę in locis excelsioribus sita sunt, longius uidentur, suntq; conspicua, nec latere quempiā possunt. Ita & cuius nomen celebre, conspicuus, illustris, excelsus metaphoricōs dicitur. Sic & ecclesia Christi, mons, domus sempiterni. Mons propter firmitatem, immobilitatē, eminentiā: Domus, quia DEVS fideles inhabitat, recte appellatur. Fama, doctrina, uirtute, nominis celebritate, illustris, cōspicua erit. Et quemadmodum in collibus, montibus, gentes atq; Iudei Idola coluere, ac ad illa confluxere, Sic nouissimis illis temporibus relictis Dijs alienis ad Dei ecclesiam tanquam ad locum eminentiorē gentes omnes confluent. Hinc & apud Ezechielem ca. 40. Ciuitatem nouā Ierusalaim in excelsō monte ædificatam esse, legimus. Et Dani. Lapidem sine manibus abscisū, in montem, qui totam impleuerit terrā, creuisse. In psalms deniq; Deus ipse mons appellatur.

Et confluēt ad eū omnes gentes.
Perpetuo, ut aqua aquam, fluctus
fluctus,

fluctus, Sic credentes, gens gentē, nouus
populus nouum, donec plenitudo gen-
tium subintrauerit, protrudent. Et ut
aqua, fluente omnia in mare, sic ex cun-
ctis gentibus credentes ad ecclesiam,
confluent.

Et ibunt gentes multę.

Populosa hęc Dei ciuitas erit, & prę
multitudine hominũ, Zacharia teste,
absq; muris habitabitur. Nec quiuis sua
contentus salute, sed alius alium, diuinę
ut particeps fiat bonitatis inuitabit, iun-
cti charitate summa. Agite, dicent, ascen-
damus ad montem sempiterni, & ad
domum Dei Iacob. Repetitio hęc em-
phasim habet cũ diuinę bonitatis com-
memoratione. Montē sempiterni, qui
creauit, continet, fouet omnia qui finē
nescit. Dei Iacob, qui cũ illo fœdus icit,
protexit, duxit in iteris fuit, ē manibus ini-
micorum eripuit &c.

Docebitq; nos uias suas.

Reticentia est, suppresso nomine eius
qui nam sit eos docturus uias suas, affe-
ctũ indicat. Qui enim summo alicuius

rei tenentur desiderio, plurimumq; affecti, que norunt soli, cunctis manifesta & nota credunt, quo fit, truncatas eclipsiticasq; ut proferant orationes, quod cōmuniter cōtingere, etiā in familiaribus nostris loquutionibus uidemus. Illum ne uidisti? Tu ne abstulisti? Dicere uoluit igitur propheta.

Rex ipse Messiah, quem Deus pater ipse promisit, Iudicem constituit, mundi redemptorem destinavit, doctorem dedit, ille nos uias suas, patris uoluntatem, precepta, mandata, docebit. Non est igitur hominis, non uirum nostrarum diuinam nouisse uoluntate, opus est spiritus sancti, munus Christi, preceptoris & magistri nostri unici qui in coelis est, Non Pharisei non Papa, docebūt nos. Ille ille inquam unicus magister noster Christus audiendus est, secundum Dei patris oraculum: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.

Et ambulabimus in semitis eius.

Obedientia & mandatorum obseruantia, doctrinā ordine sequitur. Hinc
David

David : Doce me uiam iustificationum
 tuarum & exquiram eam semper. Facile
 hinc colligi potest, quę sit ecclesia Chris-
 ti, nempe, quę secundum Christi do-
 ctrinam uitā instituit, in innocencia am-
 bulat. Quare Romana, quę omni uitio-
 rū genere obducta est, iniquinata, Chris-
 ti ecclesia esse nequit.

Quia de Zion exhibit lex &c.

Prophetę uerba sunt, cur tanta gen-
 tium multitudo ad montem Dei sit ac-
 cessura, rationē reddentis. Quia, inquit,
 ex Zion exhibit lex. Illic Messias ille re-
 gnum suum auspicabitur, Dei patris uo-
 luntatem cunctis annuntiabit. Istic cor-
 dibus legem suam, iāto fœdere nouo
 spiritu sancto, hominū inscripturus est
 Deus. Ab Hierusalaim uerbum sempi-
 terni exhibit in uniuersam terram. Illic
 cœlestis Hierusalē, quę mater est omni-
 um nostrum, exordium sumet.

Et iudicabit populos multos,
 & corripiet gentes fortes usq; in
 longinquū et confringent gladios
 F 4 suos

suos in uomeres & lanceas in falsas amputatorias uinearum, & nō sumet gens contra gentem gladius, nec ultra belligerare discent.

Sed unusquisq; sub uite sua & ficu sua sedebit, nec erit qui ex terre at. Quia os sempiterni locutū est.

Messiah filius ille Davidis, qui nos docturus est uias suas Rex & iudex a patre designatus, omnē namq; ei tradidit potestātē, nec ipse quempiā iudicat, sed omne iudiciū filio tradidit. Ille, inquam iudicabit, hoc est, reget populum suum malis pastoribus deiectis. Corripietq; gentes fortes, neq; in longinquum. Regnabit in toto orbe terrarum, omniaq; etiā inimicos, subiiciet pedibus suis, uerbo suo in uniuerso orbe predicato.

Iudicare, in scripturis pro regere & moderare acipitur, cum regum sit ius dicere. Sic Hierē. Ecce dies ueniet dicit sempiternus & suscitabo David germē iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudiciū & iusticiam in terra.

Iudicat

Iudicat autem & regit Deus suos spiritu sancto. Corrigit, iudicat, damnat mundum, sanctis reddita pace. Porro ubi spiritus Dei, illic est & pax, illic inoffense cum proximo uiuitur, commodatur, licetis artificijs quibus proximus beneficijs demereri & cōmodare potest, operatur, ut est agricultura: nemo offenditur, iniuria proximus non afficitur, offensi, lesi, ad remittendam noxam, ac benefaciendum sunt animo prompti. Nullum bellum, dissensio nulla, nulla simultas inter credentes erit, pacē quantum in ipsis est cum omnibus seruantes. Quod uates subindicare uoluit dicens Et confringēt gladios suos in uomeres.

Et habitabit unusquisque sub uite sua.

Pacis modum describit, ut in lege & prophetis promissum. Israel habitabit confitenter, superatis, uictis, extinctis inimicis, omni aduersa parte sublata, hanc pacē Christus subinde promisit. Omne inquit, quod uenit ad me non eijciam foras. Quos dedit mihi pater, ē manifestis

F s bus

bus meis eripere potest nemo, quia fortior est pater. Confidite quia ego uici mundum. Et, Pacem meam do uobis, pacem meā relinquo uobis, nimirum eam quę exuperat omnē sensum. Quidam, sed falso, hanc pacē sub Augusto impletam aiunt, sub quo etiam si semel atq; iterum Iani templum clausum fuerat, seditionibus, cędibus, bellis, deuastationibus omnia fermē regna, Iosepho teste, impleta fuere. Et nō erit qui extereat. Pacis est amplificatio. Non erit quę formides, nullus superstes futurus erit hostis. Quia os sempiterni loquutū est: Est asseueratio, fidē faciēs prędictis, sempiternus ille, qui nec falli, nec fallere potest, uerax, fidelis, ore proprio loquutus est, ipse promisit, illius nō mea sūt uerba.

Nā omnes populi ambulabūt, unusquisq; in nomine Dei sui, nos autē ambulabimus in nomine Dei nostri in seculum & perpetuo.

Accepto beneficio Deo gratias agit uates nomine fideiū. Vnaqueq; inquit gens suis fidit Dijs, à quibus, uanis spebus

bus nutrita, auxilium, liberationem sed frustra expectat. Nos uero in nomine Dei nostri, qui potens, uerax fidelis est, suos non relinquens, neq; pudefit omnis qui in eū sperat, ambulabimus. Nunquam, quacunq; ingruente necessitate, ipsius immemores erimus, nec ad Deos alienos deflectemus. Psalmus 23. Si obliui sumus nominis Dei nostri, si expandimus manus nostras ad Deū alienum &c. Est porro ambulare in nomine Dei alieni, illi fidere, eum colere: sic hunc locum Caldeus reddidit.

ארי כל עממיה יחבון על דיפלחר
לסערתא ראנחוא נתרחרץ במימרא
דיי אלחנח לעלמא רצו

Quia omnes gentes ibunt ad cultum Idolorum, nos autem spem fixam habebimus in uerbum Sempiterni Dei nostri perpetuo. Pro eo quod Heb. habet. Vnusquisq; in nomine Dei sui. Sep. posuere, *ἐκασος τῶν ὀνόμα ἑαυτοῦ*.

In die illa, dixit Sempiternus, congregabo claudicantem & eiec-
tam, & quam afflixi.

Et po

Et ponam claudicantem in reliquias, & eiectam, in gentem robustam, & regnabit Sempiternus super eos in monte Zion, ex nunc, & usq; in seculum.

Liberationis, summe securitatis, & curationis est promissio. Congregabo, dicit, claudicantem præ infirmitate, angustijs, laboribus, carceribus, diutina captivitate, eam quæ animo fuit fracto, eiectam à terra promissa, propulsatam, & quam afflixi, curabo, fouebo, in locum hunc, terram patribus promissam, reducam, claudicantem, eiectam ædificabo, secundam reddam, quantumvis desperata videantur omnia, crescentq; in populum fortem ac robustum. Et Sempiternus ipse, non homines, non tyranni sua querentes, regnabit super eos, quo foelicius nihil populo contingere potest, & regnabit in Zion, ecclesia Dei, perpetuo, quia regni eius nullus erit finis. Alludit ad promissiones in lege factas Deut. 30
Et uenite faciet te DOMINVS ad terram
quam

quam promisit Deus patribus tuis, &
 possidebis eā, & benefaciet tibi, & mul-
 tiplicabit te magis quam patres tuos.
 Quod tanquā in typo sub Iehosua, Ze-
 robabel, Esra, hinc sub Machabeis, qui
 latissime regnarūt, impletum legimus.
 At regnum illorum stabile, firmum, per-
 petuum non fuit. Christi uero imperiū
 æternum, sedebit enim, angelus diue
 Virgini annunciabit, in folio David pa-
 tris sui, & regnabit in domo Iacob in
 æternum, & regni eius nullus erit finis.
 De cuius nempe Messiah, regno Hebræi
 omnes hoc caput intelligunt, de quo &
 prophete fermē omnes uaticinati sunt.
 Bonitatē Dei hic cōmendatam habes.
 Cum enim essemus filij irę, utroq; post
 Deos alienos claudicātes pede, infirmi,
 debiles, oppressi iugo seruitutis, captiui
 peccati & diaboli, longius à Deo remo-
 ti, facti sumus gratia Christi propinqui,
 filij & heredes. Et qui populus Dei non
 eramus, populus Dei facti sumus, re-
 dempti sanguine Christi. Absint hinc
 procul humane traditiones, absint me-
 rita de congruo & condigno. Ipse ipse
 est qui

est qui nos colligit, reuocat, regit, gubernat sanctos spiritu suo.

Et tu turris gregis, turris filiæ Zion, usque ad te ueniet, & ueniet imperium primum, regnum filiæ Hierusalaim.

טור אֶלְתָּם altam turrim heb. significat, quia propter altitudinem caput nubibus inuoluitur, tegiturque. Turris gregis Hierusalem, quæ & turris David eo quod ter in eam, annis singulis, populus, ut grex ad caulas congregabatur, appellatur. Ad te igitur, inquit, O Hierusalé, turris inquam, filiæ Zion, ad te inquam pristinum illud Davidis regnum plane redibit, qui iudicium & iusticiam fecit, populum suum defendit, ab inimicis liberauit, uerum Dei cultum instituit, longe lateque à mari usque ad mare & ab Aegypto Euphraten usque regnauit. Sub Messia porro, filio David germine iusto & germano germine, iusticia regnabit, equitas primas obtinebit, ius administrabitur, per illū uerus Dei erigetur cultus, quo in spū & ueritate pater cœlestis adoratur,
nec

nec regnū eius uno terrę angulo terminabitur, sed in fines orbis terrę longelateq; diffundetur. Redibit itaq; Deus ad sedem sanctam suā, & habitabit in medio populi sui. Caldeus Paraphrastes sic reddidit.

ראה משיח יירשאל דטמיר מן קדם חובי בושתא דציון לך עתידא מלכותא למיחי ריחי שלטונא קרמאח למלכות בושתא יירושלם

Ostendens ipsū Messiah, qui ab initio absconditus fuit rex Israelis, à Zion regnum suum auspicaturum, & ad eam regnum & imperium tanquam a caput & principem ciuitatem reduiturū. Repetitiones Turris gregis, turris filię Zion, Dominum pristinum, regnum, emphasim, & promissionis confirmationem habent.

Nunc ut quid clamando tam fortiter uocē emittis? Nunquid rex nō est in te? num consiliarius tuus perijt? quia apprehendit te dolor quasi parturientem.

Dole

Dole, ingemisce filia Zion ut parturiens, quia nunc de ciuitate egredieris, habitabis in agro, ad Babel uenies, illic liberaberis, illic te redimet Sempiternus de manu inimicorum tuorum.

Ad fidem, & memoriam beneficiorum Dei est exhortatio, spem fixam ut habeant in Deum, animū in tribulatione ne despondeant, Deum redemptorem agnoscant, qui tantis eos periculis eripuerit, toties ab inimicis liberauerit. Nunc, ait, cum bellū & captiuitas propter peccata tua immineat, si quis in limine, quare uociferas, uocē extollis? agnosce Dominum Deum tuum, tuum regem, cuius iudicium à Domo sua incipit. Num rex non est in te? nunquid Deus ipse est rex tuus quo sub militas? ante te progreditur, inimicos sternit, te defendit, uictum è manibus uictoris eripit, captum liberat, hostes superat, memor esto diuinarum promissionū, opera illius reuoca, animū despondere noli, nec

li nec manus eius est abbreviata. Num
 consiliarius perijt: Deus cuius consilio
 frerus, cunctis gentibus admirandus,
 terribilis, formidabilis factus, nō perijt,
 uiuit nec infirmior factus, animo fracto
 ne esto. At dices dolor parturientium
 me apprehendit, angustię sunt undiq̃,
 desperata uidentur omnia, relicta sum,
 nec ullus effugij pater locus. Hinc est
 quod clamo, uocifero, & uices meas de
 ploro. Esto, Ingemisce, dole (permis-
 sio est) ob imminentē captiuitatē, pro
 pter peccata etenim tua ad Babiloniam
 usq̃ uicta, capta duceris. Verū deiecto
 animo effete decet minime, sed redi ad
 te, te agnosce, Deo fide, ad preces ubiq̃
 locorum patulas habet aures. Si conuer-
 sus fueris ad Dominum Deum tuum to-
 to corde, etiam in Babilone te exaudiet,
 liberabit, reducetq̃. Alludit ad promissa
 Deut. 4. Si genueritis filios ac nepotes
 & morati fueritis in terra, deceptiq̃ fe-
 ceritis uobis aliquam similitudinem pa-
 trantes malū coram Domino Deo ue-
 stro, ut eum ad iracundiam prouocetis,
 testes inuoco hodie cœlum & terram

cito perituros uos esse de terra quā transito Iordane possessuri estis. Non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit uos. Dominus atq; disperget in omnes gētes &c. Cumq; quēsieris ibi Dominū Deum tuum inuenies eum, si tamen toto corde quēsieris eum &c.

Et nunc congregabuntur aduersum te gentes multæ, dicentes, polluta est, uidebunt oculi nostri in Zion.

Porro ipsę non nouerunt cogitationes Sempiterni, nec intellexerunt consiliū eius, quia congregauit eas tanquā manipulū in arēā.

Surge, tritura filia Zion, quia cornua tua faciam ferrea, & ungulas tuas æneas & comminues. Et dedicabo Sempiterno prædam earum, & diuitias earum Domino uniuersę terrę.

Interpretes omnes uno ore hoc caput de

pnt de Messiah, propter sequentia, Et
 tu Bethlehem &c. intelligunt. Verum
 Mose hacohen מִצְרַיִם de ædificatione se-
 cundi templi sub Zorobabel facta, inter-
 pretatus est. Scripturæ mos est de futuris
 tanquam de re præsentī, per subiectionē
 cum ut clariora, tum certiora sint, de
 quibus sit mentio, loqui. Et nunc con-
 gregabuntur aduersus te gentes multe,
 dicentes, Zion polluta est, peccauit Deo
 suo, obnoxia est, nunc exterminabimus
 eam, & quęcunq; desiderabimus uide-
 bunt oculi nostri in ea, scilicet, uictum
 hostem, dirutam ciuitatem, exustum
 templum, ablatum regnum.

Verum gentes ipsę ignorant cogita-
 tiones Sempiterni &c. Nam Sempiter-
 nus Deus colligit, & aduersus te suscitāt
 gentes ut perdat, destruat, interficiat.
 Ipsę diuersum cogitant; te plane perde-
 re, uerum falluntur. Vt enim manipuli
 in areā, sic eas adducit tibi Deus. Quare
 surge, tritura, collecta est messis, mani-
 puli collecti, trituradum est, adest tēpus.
 Ad sunt inimici, surge, uince, triumphā,
 uictoria parata est. Cornua ferrea, &

ungulas æneas tibi dabo. De viribus ne
desperato, fidito ipse ego robur submi-
nistrobo, adero, te non deserā. Historijs
visis, hæc clariora erunt. Perditum no-
luit Sencherib Israellem. Samaria solo
æquata Hierusalem obsedit. Rabsaces
Sempiternum Blasphemavit, crimen
desertę religionis Ezechie obiecit, hinc
regi, perdendi eos, à Dñs potestatem
traditam esse iactitabat. Verum una no-
cte maxima multitudo inimicorum in-
terfecta fuit, ceteri relicta omni suppel-
lectile dedere fugam. 2. Reg 19. 2. Para-
32. Esa. 36. Vicit & Zorobabel eos qui
impeditum volebant & templi & ciui-
tatis reedificationem. Antiochum illū
magnum Mathatias cum filijs, superas-
uit. Hæc cum perspecta fuerint, fidem in
Deum augent, spem firmant, qui in se
fidentes defendit, munit, seruat, ab ini-
micis liberat, impiorū consilia dissipat
perdit, suo gladio iugulat. Iudei & nos-
tri Iudaizantes, de regno Messiah mil-
le annorum intelligunt, ac victoria qua
triūphaturus sit de Gog et Magog, genti-
busq; cunctis interfectis, freti autoritate
Ezeche-

Ezchielis uaticinij .38. & .29. ca. Quos
 Lactantius Firmianus. li. 7. ca. 26. imita-
 tus, inter cetera sic inquit: Sed & genus
 omne impiorum radicitus interibit, nec
 erit in hoc mundo ulla natio amplius
 preter solam gentem Dei, tum per an-
 nos septem perpetes intacti erunt sylue,
 nec excidetur de montibus lignum, Sed
 arma gentium coburentur, & iam non
 erit bellum, sed pax & requies semper-
 na &c. Nos uero dicimus impias gen-
 tes & ~~aduers~~ insurrexisse cum principe
 huius mundi aduersus Christum, quos
 deuicit, triumphauit, principem mundi
 coepit, spolia diuisit, & in suis perpetuo
 superat ac triumphat.

Dedicabo predam eorum Sempiter-
 no. Promissionem, uotum & gratiarum
 actio sequitur. Israeli uictoriam promi-
 sit, rursus Israel uotum Deo uouit, di-
 cens: Cum Deus uictoriam mihi dede-
 rit, omnia spolia, substantiam omnem, nihil
 mihi seruabo, dedicabo Sepiterno. Sic
 Hiericho, sic Amalek cum omnibus suis
 Deo deuoti fuere. Mutuata similitudo
 est a uictoribus qui predam, & inimicorum

arma in victoriae signum uouent, Anas
themata suspendunt. Quod uertimus.
dedicabo. Hebre. **והחרמתי ליהוה**

בצעם וחילם לארון וגו'
Et deuonebo, dedicabo, est enim **חרם**
Anathema, quod dedicatur & conse-
cratur, nec eo homini seruare licet quic-
quam. Vt de Hiericho & Ameleck legi-
mus **בצע** & **חיל** substantiam, diuitias,
robur, prædā significant. Sic & Caldeus
reddidit. **והגמרין קדם יי' נכסיהן**
וממון יקרהון קדם ריבון כל עלמא
Porro Septuag. multitudinem & fortia-
tudinem interpretati sunt. **ὡς ἀναθήσες**
τῷ κυρίῳ τὸ πλῆθος αὐτῶν, ὡς πλὴν ἰσχυρ
αὐτῶν κυρίῳ πάσης τῆς γῆς.

CAPVT QVINTVM.



LT nunc accingere ad
bellum filia fortium, ob-
sedit nos, uirga percuti-
ent maxillas iudicis Israel.

Varie

Varie hic locus redditur. De
Caldeis intelligit. Qui hierusalem pro
pter fœderis Dei transgressionem obses
derunt, expugnarunt, nam aduersus Ju
deos Deus sententiam tulerat. De Gog
& Magog Kimhi interpretatus est. Por
ro ut mihi uidere uideor, preparatio est
ad sequentia, maximam in se continens
consolationem. Populum suum se libe
raturū ab inimicis Deus iam promiserat,
inimicos colligendos ad necem, ut
manipuli ad aream, subinfert. Vos igitur
hostes filij fortium qui de nostra po
tentia gloriamini accingimini ad bellū,
insurgite aduersus meos, inanis omnis
conatus noster erit, peribitis ipsi, fidem
hec firmant. At caro presentia respicit, ti
met, (perpetuum hoc carnis fidei quæ
dellum uates hoc uersu describit.) quare
ait: Inimicus nos obsedit, superabit, irri
debit, subsannabit, percuciet regem, Iu
dicem Israelis subiugabit. Sic filij Israel
sub duce Zorobabel ab ædificatione
templi, teste Hagæa, deterrebantur. Ad
uersus Christum princeps mundi huius
sele erexit, ut etiam resurgente ipso disci

puli hesitarint . Et apud Iudeos ante Christi natiuitatem desperata fuerunt omnia . Quare in consolationem subiungit uates .

Et tu Bethleem Ephrata parua ut sis in milibus Iehuda, ex te mihi exhibit, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio , à diebus seculi .

Propterea dabit eos in captiuitatem, usq; ad tempus parturiēdi, pariet, & reliqui fratres reuertētur cum filiis Israël .

Et stabit & pascet in fortitudine Sempiterni, in sublimato nominis Sempiterni Dei sui, & sedebunt, quia nunc magnificabitur usq; ad fines terrę .

Q. D. Tu Bethleem Ephrata, quę & si inter ceteras principes ciuitates Iehuda minima sis, tamē ex te mihi exhibit ille Messias, qui Israël sit liberaturus, populum

pulum suum erepturus è faucibus ini-
 micorum, cuius nomen ab initio cele-
 bre fuit, nec imminuetur unquam. Vi-
 de quantā emphasim, quantā vim, sin-
 gula habeant uerba. Vbi desperabundi,
 querula uoce dixerant Iudei, obsedit
 nos inimicus, uirga percucient maxil-
 lam regis, mox eos consolatur spiritus.
 Tu Bethleem Ephrata, inquit. Est enim
 & alia Bethleem, parua, modica, con-
 tempta, & ut R. Sal. ait, prophanata pro-
 pter Ruth Moabitidem, cum sis inter ci-
 uitates Iehuda comparata illis, etiam
 utcumq; desperata cuncta uideātur, ani-
 mum despōdere nolito. Ex te, inquam,
 mihi Deus tuo, exhibit futurus ille domi-
 nator in Israel, Messiah scilicet filius Da-
 uid, qui ut pater suus Dauid, olim rex tu-
 us ex te natus, iudicium & iusticiam fe-
 cit, pacem Israeli reddidit, Sic & ille spi-
 ritum suum uero Israeli, dabit, quo faci-
 et iudicium & iusticiam, diliget equita-
 tem, pacem restituet quę omnem sen-
 sum exuperabit. Promissionum Dei me-
 mor esto, fidelis est, fallere nescit, nec it-
 ritum faciet pactum suum. Et egressio
 G 4 eius

eius, hoc est, fama nominis sui, iā olim
 celebris fuit, & ab initio cognita. Sic He
 brei, adducunt illud psalmi . 72 . An
 te solem erit genitum nomen eius. Et
 Caldeus יְהוֹשֻׁעַ מֶלֶךְ מִלְכֵּי

מִיּוֹמֵי עֲלֵמָא

Christo seruatore deniq; ab impositum
 fuit ante natiuitatem, imò à Deo patre
 ante constitutionē mūdi. Irridet hoc lo
 ci Kimhi Christianos, qui filij Dei egres
 sionem esse à diebus antiquis, qui secun
 dum diuinitatem ab eterno à patre egre
 ditur. Cum scriptum sit à seculo usq; in
 seculum tu es Deus. Euangelista Math.
 cap. 2. hisce uerbis hunc adducit locum.
 Et tu Bethleem terra Iehuda nequaquā
 minima es inter principes Iehuda, ex te
 enim mihi proditurus est dux, qui gu
 bernaturus est populum meum Israel.
 Sensum potius reddens quàm uerba.
 Si locum inspexeris, comparatione ad
 alias ciuitates, paruus est. Si nomen, pro
 pter David & Christum celebris, ceteris
 risq; dignitate maior & prestantior.

Propterea dabit eos.

Tempus uates describit, quo sit futurus

rus

rus Messiah, cum plane desperata fue-
 rint omnia, tribulationibus, angustijs
 oppleta, regnū & sacerdotiū ablatum
 cum præangustijs dolor summus partu-
 rientium eos apprehenderit. Alludit ad
 uaticinium Iacob: Non auferetur sce-
 ptrum de Iuda & dux de fœmora eius,
 donec ueniat qui mittendus est. Eo enim
 tempore quo Christus nascebatur, re-
 gnabat Herodes alienigena, cede, rapi-
 na, oppressione pauperū, cuncta repleta
 erant, uenale sacerdotium fuit, rerum po-
 tiebantur Romani, in extremis angus-
 tijs, Iosepho teste, Iudæi erāt. Nam con-
 cipiendī, gestandi uterum & pariendī
 tempus molestum plane, uerum nato
 infante, omnis labor, angustię omnes
 neglectę, finem habent. Sic primū crux,
 hinc gaudium. Tribulatio & angustię
 primum, hinc liberatio, pax, lætitia, se-
 curitas. Sic Christus ad discipulos: Tri-
 stitia uos apprehendet, mundus uero
 gaudebit, sed tristitia uestra uertetur in
 gaudium. Mulier cum parit, tristitiam
 habet, quia uenit hora eius, cum autem
 peperit puerum, non meminit amplius
 pressurę

pressurę &c. Est itaq; sensus, cum angustijs plena omnia fuerint, tunc ex te o Bethleem exhibet mihi dux &c.

Et reliqui fratres eius.

Quale futurum sit regnum Messiah, nempe pacis, describit: Et reliqui, inquit, fratres reuertentur cum filijs Israel quod clarius Ezech. cap. 37. sub metaphora duorum lignorū describit. Ecce assumo filios Israel, è gentibus ad quas ierunt, & congregabo eos undiq; & uenire eos faciam in terram suā. Et faciam eos in gentem unam in terra, in montibus Israel, & rex unus erit uniuersis ipsis in regem, & non erunt ultra duę gentes, & nō diuidetur amplius in duo regna. Et seruus meus David erit rex super eos et pastor unus erit uniuersis ipsis. Idē noster per fratrum cohabitationē sub indicare uoluit, quæ sub Christo, medio pariete destructo, facta fuit. Vel certe reliqui fratres gentes sunt, de quibus Seruator ipse: Habeo & alias oues, quæ non sunt ex hoc ouili, quas me adducere oportet.

Et stas

Et stabit.) Potentiam & uirtutem regis Messiah hoc uersu describit. Stabit inquit, tanquam ouium suarum defensor, circumspiciens, ne qua lupus gregē inuadat. Et pascet nimirum populum suum in fortitudine Sempiterni, non uirtute propria, non robore humano, sed fortitudine & potestate Dei. Deus etenim eum inhabitabit corporaliter. (Et sublimitate nominis Dei sui.) Omnia nomine Dei patris sui faciet, patrem glorificaturus. Sic Christus ipse: Non ueni facere uoluntatem meam, sed eius qui misit me patris: Et uerba quę loquutus sum ego, non sunt mea, sed eius qui me misit: Et opera quę ego facio nō sunt mea. Si non facio opera patris mei nolite credere mihi. Explicat hunc locū Ezechiel. ca. 34. Quemadmodum inquit pastor gregem suum in medio ouium suarum dissipatarum, sic requiram pecudes meas, & eruam eas de omnibus locis in quę disperse fuerant in die nubis & caliginis, & educam eas ē populis, & congregabo eas ē terris, & inducam eas in terram suam, & pascā eas in montibus

tibus Israel, in rinis, & in cunctis habitationibus terre. In pascuis bonis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erit pascua earum. Ibi accubabunt in pascuis bonis, & pascua pingua pascent super montes Israel. Ego pascuam pecudes meas &c. Et paulo infra: Et suscitabo super eas pastorem unum, & pascet eas seruus meus Dauid, ipse pascet eas, ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum & seruus meus Dauid princeps in medio eorum, Ego Dominus loquutus sum.

Et sedebunt.) Et habitabunt confidenter, absque omni formidine, pax enim firma erit. Eadem Ezechiel. Et feriam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias malas de terra, & habitabunt in deserto confidenter & dormient in syluis: Iudicabit enim orbem terrarum, & impiū spiritu oris sui interficiet, timorq; ipsius omnem implebit terram, à fine usque ad finem. וישבו, Et sedebunt, Kimhi reddidit. Potest esse etiam futurum אשב Et tunc sensus erit. Et reuertentur, nimirum ex captiuitate. Sic Caldeus.

ויתרבו

וְהוֹדוּ בְּגִלְיוֹתָיו מִבְּרִי מִבְּרִי
 Septua. per ὑπαγεῖς interpretati sunt
 ἐν τῇ δόξῃ ὀνόματος κυρίου θεοῦ αὐτῶν
 ὑπαγεῖς. Et in gloria nominis Dei sui
 erunt. Et magnificabitur.) Nomē Mese-
 siah, celebre erit in uniuerso orbe. Non
 ut olim in Iudæa solū cognitus erit Deus
 sed in gentibus, atq; regnabit ad fines
 usq; terre. Oportuit enim prædicari Euā-
 gelion omni creature.

Et hæc erit pax. Assur si uenerit
 in terram nostrā, si calcauerit ædes
 nostras, suscitabimus aduersus eū
 septem pastores, & octo principes
 homines.

Et confringent terram Assur
 gladio, & terram Nimrod iaculis
 suis, & liberabit, nimirū Messiah,
 nos ab Assur, si in terrā nostrā ue-
 nerit & si calcauerit fines nostros.

Promiserat uates Messiah daturum
 pacem. Et sedebunt: dixit, hoc est habi-
 tabūt cōfidenter. Qualis uero sit pax illa
 futura

futura, presenti capite indicat. Hæc inquit, erit pax: Summi, maximi, potentissimi nostri hostes, qui quondam terram filiorum Israel deuastarunt, ceperunt populum, captum abduxerunt, Assyrius & Babilonius, nullum posthac nobis mouebunt bellum, nec audebunt. Quod si fecerint, habebimus ex nobis, nostros reges, nostros duces, qui eruent, liberabunt, saluent & terram & nos ab illorum incursionibus, imo & Messias ipse reget, imperabitque illis summa fortitudine, omne robur aduersariorum confinget, suæ subijciens potestati. Summa hæc consolatio est, hostibus esse terrori, duces destitui non posse, ex suis reges, duces, uiros fortes habiturum, uictoriam in manibus esse: Eadem per Hierem. ca. 30. promissa legimus. Et erunt, ait, filij eius sicut prius, & cætus eius coram me firmabitur, & uisitabo omnes qui oppresserunt eos. Et erit fortis eius ex eo & dominator eius de medio eius egredietur &c. Per septem & octo, plenitudinem, copiam, & perfectionem significare uoluit. Hæc sub Christo pax, copia, uictoria

historia collata est populo Dei. Pacem
 quę exuperat omnem sensum dedit, ho-
 stem principem huius mundi uicit, spi-
 ritum sanctum misit, cuius afflatu, quo
 duce, per fidem resurrectionis, hostis ille
 antiquus uincitur, profligatur. Timeant
 sibi gratia, spiritus priuati, Timeant qui
 resurrectionē ignorāt, fideles fide arma
 ti pauere nesciūt. "כִּי יִבָּא בְּאַרְצֵנוּ רֹגֵז"
 Kim. Vbi in heb. ponitur
 Septuag. legerunt καὶ ὁκλῶ δ' ἡγ-
 κατὰ ἀνθρώπων, Et octo morsus ho-
 minū: per morsus forte uictoriam du-
 cum intellexere. Et "וְרָעוּ אֶת אֶרֶץ רֹגֵז"
 Kimhi שְׁבֵרוּ רֵעֵי Sept. καὶ ποιμανῶ-
 σι τὸν ἄσσο & pascunt Assur, hoc est re-
 gēt בְּפֶתַח חַיָּה R. Sal. מִרְיֹנוֹתֶיהָ
 In porta iudicij eius. Kim. בְּחַרְבוֹתֶיהָ
 in gladijs suis. Sept. καὶ τὰ φεῶς αὐ-
 τῆς in fouea eius. Quod si sequi cupias
 Ironia esse uidetur, sensusq; erit, pastores
 quos suscitabimus, Assyrios pascunt gla-
 dio, hoc est, interficient. Et Nimrod, Ba-
 bel, erit fouea eius, id est, suo peribit gla-
 dio & domi &c.

H Et erunt

Eterunt reliquie iacob in medio populorum multorum, sicut ros à Sempiterno, ut imber super herbam, que non expectat uirum nec preestolatur filios hominum.

Eterunt reliquie iacob in gentibus in medio multorum populorum tanquã leo inter feras, ut catulus leonis inter greges pecorum, qui si transierit, conculcauerit, rapuerit, non est qui eruat.

Exaltabitur manus tua, super tribulantes te, & omnes inimici succidentur.

Reliquie Israelis sunt, de quibus Zacharie. 13. legimus. Et inducã tertiã partem per ignem, & conflabo sicut conflatur argentum, & probabo eos, sicut probatur aurum, Ipse inuocabit nomen meum, & ego exaudiam eum. Dixi populus meus ipse est. Et ipse dicet, Dominus Deus meus est. Et de quibus Apostolus Ro.

lus Ro . 11 . reliquias fuisse secundum
 electionem, quę saluę erunt cum plenitudo
 gentium intrauerit, Hę erūt in me-
 dio populorum multorum, tanquam
 ros & imber, quę descendunt à Sempiterno,
 omnem uim, robur, uirtutem hu-
 mestandi terram, reddendi frugiferam
 à Deo accipiunt. Sic & electi non ab ho-
 minibus, sed solo Deo pendent, qui
 nec solum eos liberabit ab inimicis, sed
 dabit spiritum, uim, robur, uirtutem fe-
 rendi fructū, quo sine nemo potest quic-
 quam, est uitis nos uero palmites . Pro
 eo quod est heb. כרבים עלי עשב
 Sep. posuere καὶ ὡς ἄγριος ὡν ἀγρωσίμ,
 ὥπως συνάχθῃ μὴδὲ τίς, μὴδὲ ὑπὸς ἡν
 ἑὸς ἀνθρώπων . Quasi agni super gra-
 men, ut non congregetur quisquam,
 neq; stet in filiis hominum . Quibus se-
 curitatem electorū subindicare uoluere,
 ac fidem in Deum.

Et erunt reliquię in gentibus.
 Ut leo inter feras primas tenet, ceteris
 robustior, & catulus leonis cum ē grege
 prędam fecerit, eam conculcat, lacerat,
 H 2 deuo

deuorat, secundum libitum omnia agit,
nec quisquam est potestate prædam eris-
pere potest. Sic Israel inimicis superior
erit. Metaphoram propheta ipse expli-
cat, mutata persona Israellem alloquens.
Exaltabitur manus tua super tribulan-
tes te. Et Apostoli numero pauci, uices
runt regna, operati sunt iusticiam, uni-
uersum orbem prædicando Christo sub-
iugarunt. Ad hunc locum allusisse uide-
tur seruator cum ait: Oues meæ uocem
meam audiunt, & me sequuntur, nec
quisquam rapiet eas de manu mea. Est
enim ipse, ille de quo Iacob uaticinatus
est, dicens: Manus tuæ in ceruicibus inimi-
corum tuorum, adorabunt te filij pa-
tris tui. Catulus Leonis Iuda, ad prædā
fili mi ascendisti, requiescens accubuiſti
ut leo, & quasi Legna quis suscitabit eū?

Et erit in die illa dicit Dominus:
Succidam equos tuos, de medio
tui, & perdam quadrigas tuas.

Succidam ciuitates terræ tuæ,
& diruā omnes munitiones tuas.
Perdam

Perdam maleficia de manu tua,
& diuinationes non erunt tibi.

Excindam sculptilia tua, & idola
tua de medio tui, & non adora-
bis ultra opus manuū tuarum.

Euellam lucos tuos de medio
tui, deuastabo inimicos tuos,

Et faciam in ira & furore uindictā
de gentibus, quæ non audierūt.

Commēdat nobis Deus his uersibus
gratiam suam & erga nos charitatem.
Ego, inquit, excindam equos tuos &c.
Ut uideat in nouationem, peccatorum ab-
ominationem, uictoriam de inimicis,
acceptam Deo feras, nec tuis quicquam
uel uiribus aut meritis adscribas. Simul
pacem sub Messiah futuram amplificat.
Excindam equos & quadrigas, ciuita-
tes & munitiones diruam, in quæ fidu-
ciam ponebas quōdam. Ut Zach. 2. pro-
mittitur. Absq; muro habitabitur hieru-
salem prę multitudine hominum & in-
strumentorum in medio eius. Et ego ero di-

cit Sempiternus, eiurus igneus, in
 circuitu, & in gloria, ero in medio eius.
 In uicis ac uillis habitare summe securi-
 tatis & pacis est indicium. Et perdam
 maleficia. Extirpabo quicquid præce-
 ptis meis contrarium fuerit. Dabo uos
 his cor nouum & spiritum nouum, Olim
 futura à phitonibus maleficis quibus
 contra legem meam, plus ceteris genti-
 bus, habundabas, scire querebas, coles-
 bas idola, imitabare gentes, omnia hæc
 de medio tui auferam ne sit occasio ulla
 rursus à me deficiendi, hoc est illud pa-
 ctum nouum quod Deus cum populo
 suo ixit. Deinde concludit. Et deuastabo
 omnes inimicos tuos, cum uisibiles
 tum inuisibiles, perpetua pace reddita
 יָרֵךְ quod Sept. reddidere *ἡ ἀφάνισ-
 τὸς πάλαις Γρ.* Ezra & Kimhi יָרֵךְ
 Caldæus יָרֵךְ יָרֵךְ inimicos tuos,
 non ciuitates, ut Græci interpretati sunt.
 Promissa misericordia, subiungit etiam
 iudicium. Et uindictam sumam in ira
 & furore de gentibus, qui non audierunt,
 hoc est, obediuerunt, quęcunq; fuerint
 illę, Israelitę, siue gentes, nam apud Deū
 nulla

nulla est personarum acceptio. Quar^e
ab initio sequentis capitis cum Israel^e
expostulat. Quod heb est. לא שמעו
Non audierunt, Caldæus. רלא קבילו
! אלפן אריתהא Disciplinam legis
non susceperunt.

CAPVT SEXTVM



Vdite pueſo que Sempiternus dicat. Surge ex
postula cum montibus
& audiant colles uocem tuam.

Audite montes causam Sempiterni, & fortia fundamenta terræ
quia Sempiternus causam habet
aduersus populum suum, & redar
guet Israellem.

Popule mi quid feci tibi, aut in
quo te laborare feci? respōde mihi

Quia duxi te de terra Aegypti,
de domo seruitutis redemi te, &
H 4 misi

miſi ante faciē tuā Moſen, Aaron,
& Miriam.

Popule mi, memēto quale con
ſilium Balak rex Moab inierit, &
quid reſponderit ei Bilham filius
Behor, de Schitim uſq; Gilgal, ut
cognoſceres iuſticias Sempiterni.

Dixerat propheta Sempiternū ſum
pturum uindictam de inobedientibus,
mox cū Israele expoſtulat, ſuā illis bene
ficienciā ob oculos ponēs, & è regione
illorum ingratitudinem, uerum Dei cul
tum, quem Deus à ſuis cultoribus requi
rat, & rursus illorum hypocriſim. Quo
ſint attentiores, cum exclamatione rem
aggreditur. Audite queſo, inquit, quā
non ego aut ullus hominum, ſed Sempa
piternus ipſe dicat. Surge, ait, expoſtus
la cum montibus, cum Israele, principibus
& plebe, cauſam age, contende, au
diant colles uocem tuam, repetitio eſt.
Audite montes, quia homines audire
uocem Domini non ſuſtinent. Et fortia
fundamenta terre iudices eſtote. Nam
sempit

Sempiternus iudicio decernet cum populo suo, causam aduersus Israellem habet. Hyperbole est & prosopopeia ut ab initio enarrationis in hunc nostrum prophetam diximus, huiusmodi profecto exclamations affectus maxime mouet.

Popule mi, quid feci tibi, aut qua in re tibi fui molestus? Vel certe, Qua in re te laborare feci? responde mihi, profer testes. Per reticentiam, qua affectum notat, nihil subinfert, sed subintellectum uult ingratitudinem. q. d. Cur aduersaris mihi? me dereliquisti, mandata mea reiecisti, in uis meis non ambulasti, Deos coluisti alienos. Vnde hac ingratitudo? Hac ne in re te offendi, tibiq; fui molestus, quod ex Aegypto, e domo seruorum, ubi seruis seruire cogebare, iugo durissimo pressus eduxerim, manu potenti liberauerim, Mosem iudicem & ducem, Aaronem qui pro peccatis tuis sacerdotem ageret, Miriam qui preesset mulieribus, premiserim? tantam ingratitudinem, tantum odium promerui? Interrogatio emphasim habet, conuincendi uim maximam. Simulac per

H s Hypo

Hypothipolim gratiam, liberationem
& quicquid boni in uia & tota profecti
one in eos contulit, ob oculos, ut cerni
omnia possent, ponit.

Popule mi, Memento quale aduersus
te Balak rex inierit consilium, male
dictum te uolebat, conducto Bilham.
Ego uero maledictionem in benedictio
nem uerti. Deinde ubi diuersū accidisse
uidebat, consilio accepto à Bilhā blama
ditijs populum in Idololatriam & for
nicationem adduxit, quo consilio filij
Israel, patres tui, Deum aduersus se
prouocarunt, perditionis fuissent, nisi Pin
has fornicatore interfecto Sempiternū
placasses, ut in Numeris legimus ca. 22.
& sequentibus. Quantam uero in Schi
tim de Medianitis, eo quod in afflictio
nem non mediocrē filios Israel induxe
runt, Deus sumpserit pœnam, habes
Nume. 31. Perijt rex, Midianitę deleti
fuere, Bilham interiit. Omnia cetera bo
na in prędā filijs Israel cessit. In Gilgal,
summis Israelem beneficijs affecit, op
probria Aegypti abstulit, fructus promis
se terre in cibū, deficiente Man, concessit
Iosue

Iosue. 5. Omnia hæc contulit Deus, ut agnosceretur Iusticię eius, hoc est fidem, promissa seruātem. Est enim iusticia, ubi omnia & uerba & facta respondent. Si milē expostulationem, uerum amplio rem Ezech. 20. habes

Qua in re præueniam Sempiter nū? Curuabo ne me Deo excello, præueniam eum in holocaustis, in uitulis unius anni?

Num uolet Sempiternus millia arietum, aut decem millia fluminum olei, dabo ne primogenitum meum pro præuaricatione mea, fructum uentris mei pro peccato anime meę.

Pulchre naturam Hypocrisis, sub persona pœnitentis, qui suis operibus placare Deum conatur describit, uertentis se in mille formas, undiq; auxilium quęrens, unde & Idololatria omnis, omnis supersticio ortum duxit. Et est amplificatio cum gradatione, fingit se facti pœnitere

nitere, dolere de commissis, se pro delictis uelle satisfacere. Quam in re, inquit, praeueniam iram Sempiterni? Adorabo Deum, praeueniam in holocaustis, mille arietibus, abundantia olei, imo offerendo primogenitum, ne quid praetermisisse uideatur.

Indicauit tibi o homo quid bonum, & quid Sempiternus à te requirat, utique facere iudiciū, diligere misericordiam, & humiliter uiuere coram Deo.

Respondet uates Hypocritarum questioni. Queris quid requirat Deus, aut qua in re placari possit, quid queris? Ipse Deus, o homo, quid bonū, quid requirat, quid tibi faciūdum indicauit, Inprimis requirit obedientiam. i. Sam. 15. Ecce parere sacrificio melius est, & auscultare, adipe arietum. Facere iudicium, ut inoffense cum proximo uiuas, obserues praecepta quae pacem conciliant, charitatem nutriunt, unitatem seruauant, ut iuste & aequè cum omnibus uiuas,

nas, & præter iustū & æquum admittas
 nihil. Diligere misericordiam, *ἐλεος*,
חסד diligere beneficentiā. Haud
 satis est, offendisse neminem, sed cun-
 ctos etiā hostes benefaciendo demere
 oportet. Misericordiam uult Deus nō
 sacrificium, Osee. 6. Math. 9. Hinc dile-
 ctio proximi, misericordiæ commen-
 datio, pauperum cura, pupillorum &
 uiduarum defensio, peregrinorū susce-
 ptio, quæ Christus nobis cōmendata uo-
 luit Math. 26. originem sumpsere. Et
 humiliter uiuere corā Deo *רחבע לכה*
עם אלהיך humiliter ambulare cum
 Deo, hoc est, humiliter ambulare in ti-
 more ac pauore Dei, sic Caldeus.

והיה צויע לחלכא ברחללך ראלחך
 Septuag. *ὡς εἰ τοιμοῦ εἶναι τὸ πορθεῖν* *αὐτὸν*
καὶ αὐτὸν θεῶ σὸς. Et paratum esse &c.
 Animo ut sis integro, non tibi, non mū-
 do ut uiuas. Alludit ad legem Deut. 10.
 Et nūcaudi Israel, quid Dominus Deus
 tuus petit à te, ut timeas Dominū Deū
 tuum, & ambules in uijs eius, & diligas
 eum, ac seruias Sempiterno Deo tuo, in
 toto corde tuo, tota anima tua, omni-
 bus

bus uiribus tuis. Non igitur operibus nostris, sed obseruantia mādatorum & fide colitur & placatur Deus.

Vox Sempiterni ad ciuitatem clamabit. Vir sapiens timebit nomen tuum. Audite uirgam, & qui sit qui tempus certum ei constituerit.

Nunquid adhuc sunt in domo impij, impij thesauri, & mensura deficiens? detestatio.

Num iustificabo stateram impiam, & sacculum ponderum dolosorum?

Diuites eius repleti sunt rapina & habitatores eius loquuti sunt mendacium, & lingua dolosa in ore eorum.

Et etiam ego te egrotare faciam percutiendo te, desolando te propter peccata tua.

Tu

Tu comedes & non saturaberis, nam humiliatio erit in medio tui, accedes ad uxorem, nec pariet, & quod partū fuerit, dabo gladio.

Tu feminabis & non metes, calcabis oliuas, nec te unges oleo, & mustum, nec uinum bibes.

Quia statuta Amri obseruasti & omne facinus domus Achab, & in consilijs eorum ambulasti, propterea dabo te in desolationē & habitatores eius in sibilū, & opprobriū populi mei portabitis.

Vox Sempiterni ad ciuitatem. Postquam diuinam uoluntatem, & quod à nobis requirat Deus, ob oculos posuit nec resipuerunt filij Israel, meliores facti rursus se ad corripiendum illos se conuertit, impietatem exprobrat, interitum minatur. Vox Sempiterni, ait, aduersus ciuitatē, uel Ierusalem uel Samariam clamabit. Mox mutata persona, propheta
inter

intercessorem agit. Deum alloquitur,
 uolens eum placare exemplo Abraham
 ante Sodome subuersionem: Vir sapi-
 ens, inquit, O Deus, nomen, potentia
 tuam uerebitur, timebit, resipiscet, cor-
 de percipiet uerba tua. At spiritus pergit
 minando interitum. Audite uirgam ul-
 tionis, nimirum quam missurus est Sem-
 piternus, agnoscite eum, qui tempus sta-
 tutum pœnæ infligendæ constituit, De-
 us est uerax, potens, cui nemo resistere
 poterit. Miram uim singula ferme uer-
 ba habent. Vox Sempiterni: Sapiens ti-
 mebit nomen tuū. Virga, tempus statu-
 tum, qui pœnam sit inflicturus. Vbi nos
 reddidimus, uir sapiens **איש חכם** Cal.
איש חכם doctor. Commentarij hebreos-
 rum Esra, Salo. Kim. **איש חכם** hoc
 est **איש חכם** Vir sapiens, ille in corde
 suo timebit nomē tuū. D. Hieronymus,
 imitatus Græcos, uertit: Et salus erit
 timentibus nomen tuū. **איש חכם** legisse
 uidentur. καὶ σώσει φοβούμενους τὸ ὄνομα
 αὐτοῦ, & saluabit &c. Pro **איש חכם** Idem
 cum Septuag. posuit tribus. Ἄκουε φυλὴ
 ἐν τῇ κοσμήσει πόλιν, Caldeus uero paa-
 raphra

taphraſtes ſecus reddidit. Audiat rex,
principes, & reliqui populi terre.

שמע מלכא ושלטונא ושארי עמא
דארעה

Nunquid adhuc ſunt.

Hypocriſis & cor impœnitens arguitur hoc uerſu. Nunquid adhuc promiſſione, minis, diuina uoluntate, quid requireret auditis, theſauri impierate, dolo, fraude queſiti, ſunt in domo impij. Meſuram iniuſtã quã Deus ipſe ſumme deteſtatur. Exo. 19. qua proximum defraudat, circumuenit, expilat, in domo retinet. Impœnitentis hoc ſignum eſt ex operibus cor hominis æſtimatur. Et cum pathah admirationis nota eſt. Miratur enim uates, obſtinatum impij animũ ערר יאש בהת רשע אש pro
אש deficit enim יר' idem quod
אש, id eſt, Hieronymus legit אש ignis
ſic Septuag. μή πῦρ ἐν οἴκῳ ἀνόμῳς ὁ ἀνὸς
ἐν ᾧ οὐκ ἔστιν ἀνόμους. Nũ ignis & domus impij colligēs theſauros iniquos.
Deteſtatio וערמה reticentia eſt, affectũ

notat. Detestatio est coram Deo, Deus ipse abominatur mensuram iniustam. Prouer. 20. Abominatio est coram Deo pondus & pondus, statera dolosa non est bona. Et Amos. 8. Operiemus frumētum, imminuamus mēsuram, & augeamus siclum, ut possideamus in argento egenos &c. Hoc diuitum aduersus pauperes consilium. Quod Deus prohibuit Deut. 25. Non habebis in saculis diuersa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iustum & uerum, & modius equalis & uerus erit tibi, ut multo tempore uiuas super terram quā Dominus Deus dederit tibi, abominatur enim Deus eum qui facit hec, & aduersatur omnem iniusticiā, Porro tempore nostro iniusticia plena sunt omnia, auaritia rerum potitur, imperium tenet, nihil expectandum nobis erit nisi ita Dei grauissima.

Nunquid iustificabo.

Bisariam hic locus interpretatur.
Primo

Primo ut sit vox pœnitentis ac reuer-
tentis ad Dominum. Num corrigam
stateram impiam siue ut ~~non~~ passiue
sumatur. Iustificabor in mensura pon-
dere ue iniusto. Nequaquam, abici-
am, redibo ad Dominum Deum me-
um, huic sententię accedit Kimhi. Vel
ut sint in uerba dignabûdi Dei à uate ad-
ducta. Num iustificabo, probabo pon-
dus stateramq; iniustam? minime, Imò
de omni iniusticia, iustus iudex pœnam
sumpturus sum.

Diuites eius.) Diuites eius ciuitatis
Samarie aut Ierusalē, ad quā Sempiter-
nus uerba facit, omni iniusticia referri
sunt, fraude, iniuria, rapina thesauros
colligunt. Hinc mendacia, nam frau-
dem mendacium comitatur, & manus
assueta thesauros condere, fraudulentā
possidet linguam. Pulchre auarorum
diuitum naturam describit, hisce enim
artibus diuitias colligunt, mensura in-
iusta, mendacio, fraudulenta lingua, in-
iuria, Psalmo .10.

Et etiam ego.) Sententia Dei est, se-
cundū

cundum legem talionis. Vos pauperes iniuria affecistis, oppressistis egenos, ut prægestate facti sint infirmiores. Et etiam ego, ego Sempiternus pater orphanorum & iudex uiduarum, infirmitate uos laborare faciam, potentiã uestram confringam, eadem qua mēsi estis mensura, remetiatur & uobis, terrã uestram in uastam solitudinem redigam, ut in lege minatum est, propter peccata uestra, Doloꝛe contumelia, egenũ affecistis, & uos doloꝛẽ parturientiũ sentietis.

Comedes & non saturaberis.

Famem, sterilitatem, bellum, captiuitatem minatur. Fames extrema & uera est, comedere & non saturari. Sterilitas non concipere, sc̃etum abortiri, nec partum in lucẽ producere, inquit, enim accedes, nimirum ad uxorem, & non eijciat, scilicet partum. Foetum uero partumq; gladius absumet. Sic Kim. & Esra. Porro. R. Salo. Ad bellum & captiuitatem omnia refert. Accedet scilicet inimicus, apprehendet regem, filios, filiasq; tuas

tuas, nec captiuitatem effugies, fuga etis
 amlī salutem quesieris, peribis gladio,
 huic sententię adstipulatur. D. Hierony-
 mus: Apprehendes, & non saluabis, &
 quos saluaueris, gladio dabo, & Sept.
 ἢ ἐξώσω σε ἐν σοί, ἢ καὶ ἀλλήνη, ἢ ὅτι δὲ
 σωθῆς, ἢ ὅτι αὐτὸν διασωθῶσιν εἰς ῥομφαίαν
 ἥξει δόξανταί, Expellam te, & appre-
 hendes, & non saluabere, quotquot ser-
 uati fuerint, gladio tradentur. Quod ue-
 ro ait, Humiliatio in medio tui erit, sū-
 mam afflictionem, malum omne sub-
 indicat, alludens ad maledictiones. Le-
 ui. 26. Deut. 28. Eadem & sequentia de-
 monstrant: Seminabis & non metes &c.
 Causam omnium malorum subiūgit.
 Quia obseruasti statuta Amri. Amri rex
 Israelis, Samariam edificauit, impius,
 antecessores suos omnes malitia supera-
 uit. 1. Reg. 16. Cui filius Achab in regno
 successit, cui uiuere in peccatis Hierobo-
 am haud fuit satis, cultum insuper Baal
 instituit, innocentem sanguinem fudit.
 Prophetas Dei persecutus est, occi-
 ditq;

ditq. Hos moribus, cultu, religione, impietate Israel imitatus fuit, præcepta de-
relinquens Dei. Nihil enim rege impio
est perniciosius, morum namq. imitatio
ne subiecti, gratiam inire student, hinc
boni mores pessum eunt, uicia pullulāt,
crescunt, fructibus pestiferis omnia res
plent. Ea ratione ut Deus in lege minas-
tus est, Israelem ē terra promissa expo-
lit. Et qui olim uiuebat in præceptis Sem-
piterni, cunctis gentibus formidini erat,
ridiculum factus est omnibus, illusio,
sibulum, opprobrium. Peccati, & trans-
gressionis pœnam futuram ex præteritis
colligito, imitator hominum non esto.
Deū amato, colito, illi seruito, ne in simi-
lē imo multo grauiorē incidas pœnā.

CAPVT SEPTIMVM.



Ve mihi quia factus sum
sicut estiuorū fructuum
collectores, & qui colle-
cta uin-

Et a uindemia botros querunt, ma-
 turadefiderauit anima mea.

Perijt bonus de terra, & rectus in-
 ter homines non est, omnes infidi-
 antur sanguini unusquisque fratrem
 suum reti uenatur.

Bene maleue faciendo manibus.
 Princeps postulat, iudex propter
 retributionem (iudicat) & ma-
 gnus loquitur prauitatem anime
 sue & fortificant eam.

Optimus eorum paliuro, rectus
 tenti est simillimus. Dies specula-
 forum tuorum uisitatio tua uenit,
 nunc perplexi erunt.

Deplorat uates uices populi sui, per-
 ditosque labores, frustra se predicasse, mo-
 nuisse, uaticinatū esse. Iram Dei iam iam
 imminuentem cernit, in proximo adesse
 inimicum, futuram propediem captiui-
 tatem, & terre deuastationem coram ui-

der. Quare inquit, Væ mihi: Vt operta
perdant, qui post messem collectis ma-
nipulis, spicas, æstiuosq; fructus, & fini-
ta vindemia botros colligere querunt.
Sic accidit mihi, quemadmodū vulgo
dicitur, Ich bin in die Stupfflen kommen.

Maturos fructus quæsiuit anima mea,
uerum nullos inueni. Quæsiui iustos &
equos, uolens Deo colligere fructum,
nullum reperijt. Perit bonus, qui proxi-
mum beneficentia demereri studeat.
Rectus, equus, iustus, uerax, inter homi-
nes nō est, perijt omnis meus labor, spe
omni frustratus, cuncta sunt inuersa,
ubiq; insidiæ, ubiq; fraus, innocens san-
guis effunditur, præ libidine & auaritia
germanitas ignoratur, quisq; fratrem re-
thi uenari studet. A uenatoribus com-
paratio mutuata est, qui occulte, manife-
ste prætermittunt nihil, feras ut capiant,
insidijs, fossis, rethibus. Sic diuites om-
nes mouēt lapides, tentant cuncta, pau-
perem ut capiant, circumueniant, frau-
dent, diuitias acquirant. וְאִן rethe sig-
nificat, Hiero. uertit mortem, Septuag.
EXASOS

ἐκάστος τὸν πλησίον αὐτοῦ ἐκθλήσει ἐκ
θλήσει. Vniufquifq; proximum suum tri-
bulat tribulatione.

Bene malèue faciendo.

על הרע בפיס להיטיב ad male faci-
endum manibus, ad benefaciendum,
malefacere, benefacere, sunt enim infir-
mitiui contrarijs uerbis, teste Kimhi, uas
res idem significare uoluit, ad exaggeran-
dum peccatum. q. d. bene malèue fa-
ciendo fratre opprimere studet, omnia
tentant, in mille formas se transmutant,
quo in explebilem expleant auaritiam.
R. Salo. ריטיב ad auaros refert, hoc
sensu, Proximum iniuria afficiunt, ut si-
bi bene sit.

Princeps postulat.) Auaritia rebus in
omnibus, apud cunctos primas tenet.
Princeps postulat nimirum munus, quo
sine cum principe gratiam inibit nemo,
nec uacpis manibus eum audire licebit.
Iudex retributionis gratia iudicat, mu-
neris gratia iudicium, iusq; flectit. Vel
ut. R. Salo. Iudex iudici, sententia seruit,
I s opitulas

opitulatur. Tu pro me sententiam ferro
idem facturus tibi, tu me à petitione libe-
rato, me inuato, in simili casu tibi non
deero. Qui magnus est prauitatem cor-
dis sui loquitur, quiduis agit, loquitur,
excogitat aduersus pauperē causam fin-
git, sua authoritate fretus. Hec est fortis-
tudo qua se impius munit, loqui & fa-
cere quiduis. Aut, hec est fortitudo eius,
ciuitatis scilicet. Sic funem texunt tripli-
cem Iudex, princeps, potens, ne rumpatur,
mutuo se defendentes, auxilium pre-
stantes, ut iustus succumbat. In quos pro-
pheta inuehit exclamans. Væ qui trahis
tis iniquitatem in funiculis uanitatis, &
quasi uinculum plaustrum, peccatum.

תַּיִתּוּבַּעֲיִי נָתַן Hec est fortitudo eius
Hic est funis fortis eius. Septuaginta,
ὁ ἀρχὼν αἰτῶν καὶ λογὸν ὁ κριτὴς ἐργω-
κὸν ἐλάβησε, κατὰ δύνειον ψυχῆς αὐτοῦ
ὡς ὄνηρ. Princeps postulat, iudex ser-
mones loquitur pacificos, desiderium
anime sue sicut est.

Optimus eorum.) Optimi & recti,
palius & sentibus sunt similimi, quæ
pungūt

pungūt, ledunt, & accedentes ad unco
retinent dente. Nemo ab auarīs non le-
ditur, indemnis ue discedit ab illis. Et
seruator noster diuitias spinis comparā-
uit, Math. 13. Amplificatio est per com-
parationem. Si optimus paliuro, rectus
densissimis sentibus assimilantur, qua-
les sunt ceteri. Nō immerito uates San-
ctos perisse de terra est conquestus: &
David, Non est qui faciat bonum, nec
unus quidem. Et Osea, Non est ueritas,
& non est misericordia, non est scientia
Dei in terra, Sed peierare, & negare &
occidere, ac furari, fregerunt maceriem
legis, & sanguis sanguinem tetigit.

Dies speculatorum tuorum.

Adest dies speculatorum, falsorum
prophetarum qui prouiderunt uentura
dicentes. Non uidebitis gladium, & fa-
mes nō erit in uobis, sed pacem ueram
dabit Dominus in loco isto. Et pax pax,
req̃ mendacio fidere fecerūt, diuersum
euenit, bellum imminet, premeris fame
cingit te undiq̃ hostis. Illis credendū nō
erat

erat, nec uerbis fidere mendacibus. Ecce
 adest modo dies uisitationis tuę, quo se
 Deus memorem tuarum iniquitatum
 ostēdet, teq; a pseudoprophetis falsum
 uidebis. Nunc perplexi erunt, consilij
 inopes, attoniti, confusi, quo eundum,
 quid inceptandum ignati, spe omni
 adempta, hoc enim מְבוֹרָה significat.
 Huic sententię accedit Kimh. Esra uero
 ad principes & iudices refert. q. d. Ut
 ipsi pauperes, sic illos inimicos triciis in
 uoluet, reddet q; perplexos. Septuagin.
 ὡς ἐξελαῶμαι τὰ ἀγαθὰ αὐτῶν, ὡς σῆς ἐκ-
 τρώγων, & ἐαδίζω αὐτὸν κατὰ νόμον, ὃν ἡμεῖς
 ἡμεῖς σκοπιᾶς σου οὐαὶ καὶ ἐκδικήσεις σου
 ἡμεῖς, νῦν ἔσονται κλαυθμοὶ αὐτῶν.

Et auferam bona eorum quasi tinea
 comedens, & ambulans supra regulam
 in die speculationis tuę. Vē Vē ultiones
 tuę uenerunt, nunc erunt fletus eorum.
 Quibus confusionem & interitum signi-
 ficare uoluerunt.

Ne credatis amico, nolite fide-
 re duci, ab ea quę dormit in sinu
 tuo

tuo custodi ostia oris tui.

Nam filius uituperat patrem,
filia insurgit aduersus matrem, nu-
rus aduersus socrum suam, inimi-
ci uiri domestici eius.

Futuram amplificat calamitatē, quæ
tanta arat futura, ut nusquam tuta fides
poterit inueniri, etiam inter coniunctis-
simos, seditionibus, traditionibus, nece
repleta omnia erunt. Hæc impietatis pœ-
na. In quem sensum, hūc locū Math. 10.
seruator adduxit, quantū malū impios
deprehensurū sit, designans, ut enim
charitate & unitate præstantius, sit dissi-
dio periculosius est nihil. Quod uero
impijs fidendum non sit, sint tibi exem-
plo, in primis Sichinite, qui Abimelech
filium Hieroboal in regem elegerant,
se illi crediderant, & ab eo perditifuerunt.
Iudi. 9. Samson Dalidæ fidebat, tradit-
us ab ea Philisteis, uiso fuit priuatus.
Iudi. 16. Absalon patrem Dauid emper-
sequutus est. Sed hæc quid cōmemoro.
Quantæ fuerint seditiones ante Babilo-
nicam

nicam captiuitatem. Deinde ante natum Christum. Postremo in destructione Hierusalem ac totius gentis, quantæ cedes, quam nulla fides, ut homines exuti omni humanitate, obliuiscerentur, plena omnis genere mali fuerint cuncta, non solum sacræ historiæ, sed Iosephus & Aegæsyppus testantur, horribilia dictu, incredibilia auditu narrant sed uera. Nec minora nostro tempore mala suppullulare uidemus, resipiscendum ergo nobis erit.

Ego uero in Sempiternum respiciam, expectabo Deum salutis meæ, exaudiet me Deus meus.

Prophetæ uerba hæc sunt, fidelium nomine, quibus pios consolatur, fidem erigit, spem nutrit. Rebus namque quantumcunque desperatis, pius diuinis promissis nititur, quæ fide coram cernit, ab ijs tanquam sacra anchora pender, nec rebus aduersis diffidere Deo potest. Audiamus ergo prophetam. Diem uisitationis adesse dixerat, quo omni consilio destituendi

tuendi, perplexi, stupidi, forent, auxilio
 priuari, tantamq; imminere calamitatē,
 ut etiam iunctissimis fidere nequirent,
 omni humanitate, germanitate de me-
 dio sublatis. Ego uero, inquit, sublatis
 in cœlum oculis in Deum respiciam,
 Deum seruatores meum expectabo,
 Ipse salus mea, liberator, redemptor me-
 us, se Deum meum futurum, à malis
 omnibus redempturum promisit, faciet
 fidelis est, me non derelinquet. Esto pec-
 cati luam pœnam, abeam in captiuita-
 tem, terra promissa pulsus, expectabo
 tamen Deum salutis meę, exaudiet uo-
 cem deprecationis meę, Deus meus.
 Sic Dauid in periculis summis, in Deum
 sperare gloriatur, quem Deum suum,
 Petram refugij, liberatorem, seruatores,
 auxilium esse dicit. Hinc colligimus
 tentationē pñs, probationem esse fidei,
 per quam omnia mūdi huius uana esse
 cognoscuntur, solum Deū ueracem.

Ne leteris inimica mea aduer-
 sus me, eo quod ceciderim, resur-
 gam

gam. Si federo in tenebris, Sempiternus lux mea erit:

Indignationē Sempiterni portabo, quia peccaui illi, donec iudicauerit causam meam, & fecerit iudicium meū, educet me in lucem, uidebo iusticiam eius.

Et uidebit inimica mea, & operietur confusione, quę dicit ad me in lucem, uidebo iusticiam eius.

Et uidebit inimica, & operietur confusione quę dicit ad me, tibi est Sempiternus Deus tuus? Oculi mei in ea uidebunt, nunc erit in conculcationem sicut lutum platearum.

Triumphantes soliti sunt, gaudere de uictoria, uictis insultare, uiribus proprijs nō Deo tribuere gloriam, uiuere secure non respicere finem. Pius uero diuinum iudicium ob oculos habet perpetuo, in modis

modicam insultatium letitiam reprimere conatur, delictum proprium fatetur ad Deum, cui fidit, in quem sperat à quo pender, clamat indefinēter. Itaq; diuina perpendens promissa, consolatione accepta, inimicorum superbam insultationem uidens, ait. O inimica mea quę me odio persequeris, ne leteris, insultando mihi, eo quod à gloria mea ceciderim, in captiuitatem si m abducta, uictrix quondam gētium, uicta humi prostrata iaceam, resurgam, non me sub aliena potestate relinquet perpetuo, nec in eternum irascetur. Etiam si sedeā in tenebris, angustijs, tribulationibus summis, Sempiternus lux erit mea, uerbo suo deducens me in latitudinem consolabitur. Indignationem Dei patienter feram, iuste patior, peccaui, peccatum meum fateor. Expectabo Dominum, donec iudicabit causam meam, sententiam tulerit. Pius duo in persecutione attendit. Primum peccatum proprium, hinc quicquid intulerit, quicquid immiserit mali fert patienter, delictum fatetur, petit res

tit remitti, gratiā expectat. Alterū, causā
quare ab inimico persequatur, se cum
hoste cōferens, nullā se inimico persecu-
tionis causam prēbuisse, innocentem es-
se, sumpta fiducia, Deum iudicem im-
plorat. Hinc David, Iudica me secundū
iusticiā meā: et, Iudicat causam meā. Cū
alio in loco dicat, Ne intres in iudiciū cū
seruo tuo, quia nō iustificabitur in cōspe-
ctu tuo omnis uiuēs. Sic & propheta no-
ster. Portabo indignationē Sempiternā
donec iudicet causā meā & faciat iudiciū
m. Deinde consolatione per fidē acce-
pta, ait. Educet me in lucē, liberabit me
ab angustijs, pristinē restituet libertati. Vi-
debo iusticiam eius, fidelem, ueracem,
promissa seruantem, foedus cum patri-
bus istum denuo erigentem, sumentem
vindictam de inimicis. Liberationē me-
am inimica mea uidebit, operietur con-
fusione quē hactenus insultando dixit,
Vbi est Deus tuus? seruet te, liberet te;
Quemadmodum Pharisei Christo ex-
probrarunt, Dixit se filium Dei esse, libe-
ret eum

ret eum nunc si uult &c. Oculi mei in ea
diuinam uidebunt uindictam, dabitur
enim in conculcationem tanquam lus-
tum platearum, Assyriorum regnum
fuit euersum, Caldeorum dirutum, Ma-
cedonum uictum, Romanum dissipat-
um. Peribunt impij, perdentur de ter-
ra, iusti uero cum Christo regnabunt in
aeternum. Oculi mei uidebunt, retis-
centia est.

Die illa qua edificabuntur sepes
tue, die illa elongabitur statutum.

Die illa etiam usq; ad te ueniet
de Assur, ciuitate munita, à muni-
tione usq; ad flumē, & à mari usq;
ad mare, & montem Hor.

Et erit terra in desolationem,
propter habitatores suos, ratione
fructuum studiorum eorum.

Die qua edificabuntur. Ad promissio-
nes Dei uates redit. Erant filij Israel sub
iugo seruitutis, tributarij, preceptis, statu
K 2 tis gen

tis gentium subiecti, dispersi, absq̃ ecclesia, terra eorum deuasta erat, ciuitates dirute, templum exustum. Porro ueres nomine Dei libertatem, et lapsorum reedificationem promittit. Die, inquit, qua sepes tua rursus edificabitur, qua rursus facta recta erunt, collapsa erigentur, ecclesia congregabitur, terram tuam inhabitabis, simul seruitutis iugum auferetur, à tributo gentium & statutis liberaberis. Sic **בְּעִירְנָא חֲחִיא יִתְּב וַיֵּין יִתְּב בְּיִשְׂרָאֵל בְּעִירְנָא חֲחִיא יִתְּב לִטְו גִּירְתָּ עַמִּימָא**

Kimhi uero primam huius uersus partem ad inimicos Gog & Magog refert. Die qua cogitaueris edificare sepes tuas in contemptum Israël, uenerisq̃ cum Gog & Magog in terram Israël diuersum tibi continget, superabere, ipse dominabitur tibi, eritq̃ superior.

Die illa.) Terram alloquitur. Illa die qui quondam abducti capti in Assyriam fuerunt, tenti ciuitatibus munitis, ad te redibunt, à cunctis finibus terra congregabuntur, & te inhabitabunt. A flumine Euphrate, à monte Hor, usq̃ ad mare

Nahum. 1. &c. Hierusalem deniq; quia
Iudei Christum sunt persequuti, fundi-
tus miserrime eversa fuit. Hic impio-
rum finis.

Pasce populum tuum uirga tua
oues hereditatis tue, habitent soli
in nemore, tanquam in medio Car-
meli, pascuntur in Basam & Gilas
ad ut ab initio.

Iuxta diem educationis tue de ter-
ra Aegypti, ostendam ei mirabilia.
Videbunt gentes & pudore affici-
entur ab omni fortitudine sua, po-
nent manum super os, aures eos-
rum obsurdescent.

Sicut serpentes puluerem lino-
gent, sicut reptilia terrę de fissuris
emergent. Sempiternum Deum
nostrum formidabunt, te timebunt.

Demum propheta fide munitus,
accepta consolatione, ad Deum pro po-
pulo

pulo fundit preces, est autē oratio omni
no emphatica. Pasce, inquit, populum
tuum, quem elegisti ex omnibus genti-
bus, rege tu eū, tua uirga, tua potestate,
oues inquam hereditates tuę, oues sim-
plices, inermes, innocuas, errabundas,
hereditatis tuę, ne iuri alieno permittas.
Habitent soli in nemore, confidenter,
securi, ne quis eas offēdat, iniuria afficiat
ac si inhabitarent frugiferum illum mon-
tem Carmelum, arboribus consitum,
uineis plantatum, agris cultum. Ut quō-
dam, uictis ac pulsīs inimicis, terram
pinguem, pascuis uberrimis refertam, se-
cui, absq; timore in omni abundantia
Gilaad & Basan inhabitarunt.

Sicut in diebus egressionis tuę. Arden-
tem & Dei amantem animum Deus ipse
derelinquere nescit, exaudit, consolatur.
Cum igitur propheta miris affecti-
bus ardentissime orasset, diuino conso-
latur oraculo. Ostendam populo meo,
quibus pascuę meę mirabilia, quemad-
modum feci dum educebaris ex Aegy-
pto. Ut illic populo gratiam concessit
K 4 Aegypto

Aegyptiorum manu potenti eduxit, inimicos fregit. Sic in liberatione à captiuitate Babilonica, gratiam & fauorem regnum Cyri & Darij conciliauit, perijt Ammon. Cutei superati sunt, reedificata sunt templum ac ciuitas, munera Deo reges miserunt. Ita summa Dei ope Matathias cum filijs Anthiochum Epiphanem uicit, superauit, regnum Israelis restituit. Et summo miraculo Deus homo factus, principem mundi huius prostrauit, è regno eiecit, ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dona hominibus dedit, pacem reddidit, nos in filios adoptauit, heredes scripsit. Videbunt gentes, mirabilia opera Dei, uictoriam & triumphum, sua consilia uim, robur, potentiam fumum esse, nec quempiam diuine resistere posse potestati cognoscent, pudore afficientur, filebunt, digito compescent labella, qui olim insultarunt Isreli, Deum blasphemarunt, in potentia propria gloriati sunt pre mœnore obsuadescent. Quod Assyrijs Ezechiel temporibus accidisse in libris regnorum legimus, Cuteis sub Zorobabel

bel, Antiocho per Machabeos factum hi-
 storię testantur. Eructoria Christi, suiq;
 uerbi silentium, impijs omnibus deu-
 ctis silentiũ imposuit, atq; imponet, Lin-
 gent puluerem, humiliter incedent de-
 missis in terram oculis, serpentumq;
 more prostrati corpora trahent, & ut
 reptilia terre motu territi ẽ fissuris &
 caernis terre emergunt, sic hij ẽ lati-
 bulis, domibus, spelũcis suis omni con-
 fusione circumdati prodibunt. Cau-
 sam subiungit propheta. Sempiternum
 Deum nostrum formidabunt. Te time-
 bunt. Subita personarum mutatio em-
 phasim habet, affectum mouet. Mira est
 cõfusionis amplificatio adagijs & com-
 parationibus. Manum super os ponete,
 obsurdere &c. adagia sunt.

Quis Deus sicut tu, auferens
 iniquitatem, residui hereditatis sue
 præteriens pręuaricationem, non
 tenuit iram suam in perpetuũ, quia
 uolens beneficentiam ipse.

Reuertetur, miserebitur nostri,

iniquitates nostras superabit, & proijciat in profundū maris omnia peccata nostra.

Facies misericordiam cum Iacobo, misericordiam cum Abrahamo, sicut iurasti patribus nostris, priscis temporibus.

Accepta consolatione, Deo, cū admiratione gratias agit, accepta fert omnia magnificat, glorificat, nihil uel meritis, uel uiribus proprijs tribuens. Locus desumptus uidetur ex Psal. 17. Quis Deus sicut tu, quis Deorū suis cultoribus peccata remittit, trāsgressiones preterit, irā deponit, suis benefacit: profecto nullus. Hęc insignis illius nominis Dei interpretatio est. Ex. 34. Et est locus ab effectis, ex operibus, qui incongnoscibilis ex se est, cognoscitur Deus. Pariter remissa esse peccata, Deum reconciliatum, ex condonatione poenę, recte delictum remissum intelligitur. Propter peccata, terra Israelis deuastata, populus captus fuit

fuit. Liberato, ad sedes proprias reuerso
 remissa peccata cognoscuntur. Hinc fi-
 de certior factus & reliquū consolatur
 populum. Elongatum, auersum à nobis
 creditis Deum, reuertetur miserebitur
 nostri, nolite timere, ipse peccata no-
 stra superabit, triumphabit, abijciet ea
 in profundum maris, nec illorum recor-
 dabitur ultra, suum est, non hominis,
 peccata remittere, nec honorē suū dabit
 alteri. Da igitur gloriā Deo, fidem la-
 cōbo seruabit, misericordiā Abrahę &
 posteritati promissam prestabit, fidelis
 est, uerax est. Hanc fidem, misericordi-
 am, ueritatem in Christo prestitit, pec-
 cata condonauit, culpam remisit, à ius-
 go seruitutis, dura diaboli captiuitate li-
 berauit, in patriam, coelestem Ierusalem
 reduxit. Quare diuinis oraculis fi-
 dendum, Deo firma spe ni-
 tendū erit, qui est bene-
 dictus in secula
 Amen.




ARGENTORATI APVD CRA


TONEM MYLIVM, AN.

M. D. XXXVIII.

MENSE SEPT.









1999662

